Ubi ſup

lor. *Cùm vidiſſet matrem, dicit: Mulier.* Mulieris titulo in matre oſtenditur ſolitudo. Ut mater thronus eſt, ut mulier crux: & quæ mater, titulo ſignatur mulieris, ut palam fiat in illa ſolitudo ſolitudinis; igitur in crucis importabile tormentum conver-ſum eſt matris ſingulare gaudium. *Ego de-*

Iſai. 49. 21.

Et fuit alia crux in cruce.

ſtituta & ſola, veriùs quàm Ieruſalem, iuxta crucem dicere quibat Maria. Sola & deſtituta? Sola ſola. Quod ſolitudines in animo, ut ſolitudini alia addatur ſolitudo? Eſt utique deſtitutio matris, & deſtitutio mulieris. Utraque in Maria: & dicitur in deſtitutione ſola & ſola; quoniam in ſolitudinis amariſsimo tormento, fuit alia atque alia ſenſibilior ſolitudo. Iuxta ſolitudines inferebantur cordi ſaucio dolores, & dolores iuxta cruces: diciturque ſola ſola, quia ſuper vulnera vulnera: etenim cruci mulieris, iungitur crux ſolitudinis matris.

17 Conſtet ex ſigno quantum doloris in genitrice: qui vidit, teſtimonium perhibeat veritati. Signum magnum apparuit in cœlo, vociferans mulier. Quæ hæc mulier ſuſtinuit in Calvario, apparebit in cœlo. Vidimus ſupr. num. 2. clamantem, & quia filius raptus, fugientem in ſolitudinem. Ita igitur orba filio, deſcribitur deſolata, verùm necdum in extrema pœna; igitur ut deſignaretur cruciamen ultimum, *datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut vo-*

Apocal. 12. 14.

laret in deſertum. Non fugerat in ſolitudinem? Utique. Fugit ubi erat? Nequaquam. Quò igitur volat? Quot ſunt deſerta? Plura, ut illa & ſit deſtituta, & ſola. Erat ſolitu-

Et alia ſolitudo in ſolitudine.

do matris: ideo dictum fuerat: *Peperit* Erat ſolitudo communis, quapropter vocatur *Mulier*: & additur deſertum deſerto, & ſolitudini etiam alia ſolitudo: quippe cruciamini ſolitudinis mulieris, ſuperpoſitus dolor ſolitudinis matris.

18 Per ſolitudinem ſæpe cordis amari deſignatur cruciamen: & ubi additur ſolitudo in deſerto doloris, exponitur ſummus dolor in dolore ſolitudinis. Phraſis utique communis in Scriptura. Ezech. 29. 9. *In deſertum & in ſolitudinem* de quo nobis, Deo propitio, *Tom.* 8. *Tautol.* 1. ad illud Sapient. 11. *Iter fecerunt per deſerta, quæ non habitabantur.* Modò ergo intendamus in Chriſti querelam per Prophetam Ieremiam. *De-*

Ierem. 12. 10.

Solitudinem non facit locus, ſed animus.

derunt (ſcilicèt Iudæi per filij mortem, Virginem-Matrem) *portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis.* Quid hoc? Poteſt eſſe deſertum ſine ſolitudine? Poteſt, quippe deſertum non conſtruit locus, ſed ſolitarij animus. Hic facit civitatem habitationis. Si eadem ſignificatio utriuſque vocis, ad quid additur deſertum, & ſolitudinis? Ut deſignetur in portione deſiderabili, Virgine matre, dolor ſummus in dolore. In deſerto erat, quia mulier; & in deſerto ſolitudinis, quia mater. In deſerto ut mulier, quia erat ſine patrocinio, ſicut cæteræ mulieres, cruci adſtantes: & additur ſolitudo deſerto; quoniam in ſolitudine erat alia ſolitudo: ſo-

Virgo duplicem ſolitudinē paſſa.

litudo matris iuncta dolori ſolitudinis mulieris: equidem aliæ, Chriſto mortuo, erant ſine patrocinio; & Virgo ut mater abſque protectione & termino. Ædificavit ſibi ſolitudinis in adæquationem doloris. Qui tibi nunc ſenſus? Qui, cùm aſpiceres corpus miſerabile nati? O quàm amara, quæ ſemper dulcis Virgo Maria! Sit ergo contemplatio dolorum, in renunciationem criminum. Si hoc eſt in viridi, quid erit in arido? Reſipiſcat animus, & vocetur lachrymis pœnitudo. Tanta mala ſine malo (canit Lactant. Firmian. Carm. de *Paſs. Dom.* v. 56.)

Lact. Firm.

Ipſaque ſupplicia inſpiciens, mortemque ſeveram,
Corporis innumeros memorans, animiquè dolores,
Diſce adverſa pati, propriæque vigilare ſaluti.

DIDASCALIA VII.

Cordis diverſorium Chriſtus non amat, ut cordis ipſe ſit cor.

Nova-rin.

1 MOnet Novarinus in *Vmbr. Virgin.* Excurſ. 19, num. 220. Animæ vita dicitur, quippe ſine Deo vel vita mortuā: & Deus per cor ſolicitat animam, ut vitæ cordis elargiatur vitam.

Deo dicandum totum cor.

Frequenter dividitur cor in oppoſita, & Domino cordium non placent corda diviſa. *In toto corde* exquirendus eſt, & diviſa vo-

Pſal. 118. 10.

luntate non offertur totum cor: quod quidem ni totum, profectò nullum. *Date no-*

Math. 25. 8.

bis de oleo veſtro: dixerunt fatuæ virgines prudentibus, ut prudentes eſſent fatuæ. Si oleum charitas & amor, infelix exitus,

Non prodeſt amor diviſus.

Non prodeſt amor diviſus. *Ne forte non*

Verſ. 9.

ſufficiat nobis & vobis, reſponderunt, *Ite.* Aptius reſponderent, ni dicerent, *Fortè.* Flamma lampadis pectoris tota cœlum verſùs petit: amor diviſus non ſufficit.

Hæſt.

Me tibi cùm totum dederim, vaniſsima, cordis.
Cur mihi, virgo, tui pars aliquanta datur?
Quod mihi donaſti magno pro munere, non eſt
Si neget hoc iuſti ponderis æqua bilanx.

Ait Amor divinus Sponſæ apud Benedictum Hæften. in *Cord. Schol.* lib. 2. lect. 6. & 17.

Ni totum nullum.

Nullum ſacrificium gratius Deo, quàm cordis oblatio. In alijs rebus pars ſufficit, in ſacrificio cordis ni ſit totum, totum deficit: igitur nihil offerendo conſecrat, qui in ſacrificio cordis, cordis aliquid ſervat.

Gen. 22. 2.

2 *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaäc, & offeres in holocauſtum*: dicitur Abrahæ. Per filium unigenitum, & dilectum, cor intelligitur: per cordis ſacrificium amor cognoſcitur: etenim ſi cor unigenitum voluntatis, & voluntas unigenitum offert; profectò diligit.

Prudent.

Senile pignus qui dicavit victimæ,
Docens ad aram cùm litare quis velit,
Quod dulce cordis eſt, quod pium, quod unicum
Deo libenter offerendum credito.

Congruit eſſe holocauſtum, ſi cordis ſit ſacrificium.

Canit Prudentius Præf. in *Pſychomach.* Ita enim Abrahamus in unigenito, dilectiſsimo Iſaäc, libenter dedicat cor; ſed offert in holocauſtum, ut ſit cordis ſacrificium: etenim cùm victima in holocauſto tota dedicetur Deo; holocauſti tantùm acceptabitur oblatio: igitur ſi ex corde ſit ſacrificium, nullum erit abſdubiè, ni ſit totum:

3 Natus eſt Salvator in Bethlehem ſed extra locum, ob inſigne documentum.

Luc. 2. 7

Haud quia non erat diverſorium, natus eſt in præſepio; ſed *quia non erat ei locus in diverſorio.* An ars eius ingenioſi amoris, ut hominum excuſaret vel umbram ingratitudinis; cùm adveniens repelleretur, & pulſantem oſtium cordium, etiam ſui non receperunt? Aliter cogitat Clemens Alexan-

Clem. Alexandrin.

drinus. *At mihi quidem* (ait lib. 2. *Strom.*) *videtur cor non eſſe abſimile diverſorio.* Cor eſt huiuſmodi hoſpitium, & locum Chriſtus non habet, ſi cor fuerit diverſorium. In diverſorio eſt ad egreſſum ingreſſio: & non habet Chriſtus locum in diverſorio; quippe in animarum commodum,

Amor divinus nō quærit in cordibus hoſpitiū, ſed manſionem.

quærit ex hoſpitio manſionem, & non hoſpitium. Eſt in cordibus ut maneat, minimè, ut exeat: recipitur gratiâ, repellitur culpâ: & non eſt ei locus in diverſorio, quod conſtruit varia hominum cogitatio; igitur ambiens permanentiam in corde, cogitur egredi.

In diverſorio primo occupanti conceditur locus, ſive bono ſive malo: nulla eſt perſonarum diſtinctio: imò à quolibet hoſpite apertâ ianuâ, domus habetur ut propria: minimèque placet Chriſto, in corde habitare cupienti; quòd cor hominis aperiatur, advenienti cuilibet cogitationi. In diverſorium ingrediuntur quiqui volunt: & ingredientibus multis, Chriſto non erit hoſpitium: igitur dum de cordibus ſatagit, ſibi ſoli tantùm quærit. Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad

Cor adinſtar diverſorij peſſimū.

Belial? Quæ denique pars fideli cum infideli? In diverſorio propter divitem habitu humilis non admittitur, & citò admiſſus repellitur: nequitque placere, quòd ut ingrediatur vanitas, paupertas humilis eijciatur foràs. Diſplicet Chriſto, ab animabus iuſtis recipi vanitates, etiam ut hoſpites. Quantum ergo gravabit domus virtutibus vacua, & ſceleribus plena, vel adinſtar diverſorij, modò plena, modò vacua? Mavult Salvator præſepium, quàm cordis ita pravi diverſorium: igitur dum pulſat pectus, reſpondetur introrſùm: Non eſt locus. Præoccupant enim vaniſsimæ illecebroſæ voluptates adventum felicem diligentis Redemptoris. Ibi eſſe ſentit, & fugit, quia cor vanitates recipit: quod declinat reclinandus in præſepio, quia amori non eſt locus in diverſorio. Quo pacto introgredietur habitaturus in pectore, ſi intrò ſunt inimici truces animæ? Ut ingrediatur Salvatoris claritas, princeps mundi eijciendus eſt foràs: igitur quandiù anima dilexerit huiuſmodi contubernium, qui in corde naſci intendit, Salvator non habet locum.

Deus corde trahitur.

4 Locus ergo præparandus, Salvatori naſcituro. Ubi? In corde: ſed non tamquam diverſorio: igitur dum pulſat in hoſpitium, quærit habitationem & non tranſitum.

Mant.

Virga recens zephyris, nervo curvabitur arcus,
Igne chalybs, adamas ſanguine, corde Deus.

Canit Baptiſta Mantuanus. Obtulit in Iſaäc pater unigenitum cor in holocauſtum; & locum ubi obtulit, appellavit: *Dominus*

Gen. 22. 14.

videbit. Hebræi, ut vidimus in *Litter. Expoſit.* num. 29. legunt: *Dominus videbitur.* Deus trahitur corde: & dum ſacrificium ex toto corde offertur, Deus eſt ibi. Iurè cum ſacrificio cordis iungitur divina preſentia, ut rutilet acceptionis præſtantia: etenim Deus in pectore videbitur, ſi totum cor cordis domino ſacrificatur. *Videbitur.* Lu-

Et videtur.

men inacceſsibile explorabitur ab homine! Filius Dei, qui in ſinu Patris, ſuper faciem telluris! In præſepio iacebit qui continet mundum, & quem cœlorum ambitus capere nequaquàm poſſunt! Qui ſolvit in curſum rutilas ſtellas, videbitur inter faſcias! Riſus & gaudium orbis plorabit vagiens

giens in paleis! Ille quem celebrat chorus cœleſtium, in medio duorum animalium! Ille, quem quærere debebat homo ob propriam utilitatem, quæret ingratiſsimum hominem! Ille qui liber auguſtè ſedebat in throno regio, habitu invenietur ut homo! Deus & propter hominem homo, obnoxius pœnæ, ſine labe culpæ! Propter hominem, ita indignè Conditori reſpondentem; ut pœnas eluat, cuius erat crimen! Deus homo propter hominem infenſum, cùm non videret quem formavit hominem! Deus in carne & mortali, pro mortali inani pulvere! Deus homo! Verbum caro! & præ gaudio non flet homo? Videbitur? Quando?

Deus propter hominem homo.

Philip. 4. 4. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete*: dicam cum Doctore Gentium. Quare igitur ſi mala fragilem naturam premunt, ſingulariter lætandum? Iurè: exultet ergo præ gaudio in pectore cor; quippe *Dominus* expectatus *prope eſt*. Tot expetitus ſæculis, tot prænunciatus litteris, tot prædicatus patribus, tot antedictus gentibus, tot perſonatus vatibus, tot lineatus formulis, tot percupitus Angelis, oſculabitur Sponſam naturam humanam, ac in æternum habebit ſponſam! Voluntarium mancipium (eò gravius vinculum, quò voluntarium) iacebat homo in affectionum ergaſtulo ſervorum ſervus, igitur principabantur appetitus. Cœcus enim ſine lumine gratiæ, & eclipſe Solis intelligentiæ, quin in cœlum elevaret lumina, quoniam prona in terram corda, immoto greſſu, pede vincto, & virga directionis tradita in exactoris dæmonis manus, qui in pœnas acriores machinabatur ſtudiosè dolos. Solummodò Verbum divinum, caro factum, educère poterat è carcere vinctum: & dum propè huiuſmodi felicitas emicat, neceſſe eſt, quòd pectus gaudiat; igitur ſi propè iam naturæ libertas, brevi tot dierum confringetur captivitas.

Libertatem recipit homo, naſcente Chriſto.

5 Acumen huius auctoritatis promet vox calamitatis hominis. *Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte?* Ita clamabat homo, dum eſſet Verbum divinum non homo; igitur causâ criminis, ſemper in tenebris. *Cuſtos.* O divinam pietatem! Etiam cuſtodit, dum affligit peccatorem. *Quid de nocte?* Quid ad illos, quantum temporis ſupereſt uſque ad lucem? In ſummum inquirunt gaudium: igitur ſi lucet manè, Sol eſt propè: & ſimul fons totus felicitatis, quæ orietur ex ortu Solis. *Quid de nocte?* Quouſque in nocte ignorantiæ, afflictionis pœnæ, & calamitatis verſabitur cæca conditio? Quando ſurget è tenebris homo? Quando aderit

Iſai. 21. 11.

manè, quo oriatur nobis ſalutaris Sol iuſtitiæ? Quid de nocte? Nox fuerat, ex quo tempore Adamus orbem crimine maculaverat: & inquirit genus humanum quid de nocte, & uſque manè ſit; quippe ſi manè micat, propè Sol. Quid de nocte ad lucis ortum reſtat, ut homo videat in quo iaceat, & reſurgat? Quid de nocte? Quoniam nox eſt, quamdiù non oriaturSol. Vim vox exprimit doloris, & affectum, atque cupiditatem libertatis: ſiquidem ſolummodò per Solis iuſtitiæ ortum, nanciſcetur natura captivitatis interitum. Reſtat de nocte multum? *Venit manè.* Ergo erumpat cordis gaudium: etenim naſcente Chriſto, per eius ortum renaſcetur homo. Canit Sedulius lib. 2. v. 33.

Et renaſcitur.

——Quoniam natura prior vitiata iacebat
Sub ditione necis, Chriſto naſcente, renaſci
Poſſet homo, & veteris maculam deponere carnis. — Sedul.

Ideo illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Redemptionis, quia Deus in mundo: reparationis, quippe novus homo: felicitatis, quoniam Verbum divinum videtur caro. Hæc hominum felicitas ſumma, ultra quam non rutilat alia gloria.

6 Apparuit Dominus Moyſi in flamma rubi, quaſi in ſignum egregium venturi in carne, ſine carnis ſpinis, in honorem matris. *Vadam* (inquit) *& videbo viſionem hanc magnam.* Appropiat, ſed cùm videret inuſitatum lumen, qui ſtudiosè videbat, *abſcondit faciem.* Vidit miraculum, & poſt viſionem ſtatim operit vultum? Ad quid lumina, niſi in miracula? Modo claudit oculos, dum in viſionem non ſufficit Argos? Si cupit videre, & cupita videt, quomodò fugit? Reſpiciat iterùm, ut impleatur gaudium: igitur amanti non ſufficit, ſemel aſpicere. Si ſignum Dei hominis aſpicit, cur non reſpicit? Quia vidit. Lumen deſiderabat, ut videret viſionem, & quia vidit viſionem, amiſit lumen. Non erat alia gloria, præter illam ſemel viſam, uti viſionem magnam: non erat ultrà, quid videret: & faciem meditanter abſcondit; igitur ad quid oculi, ſi ultra viſa non eſt aliquid? Abſcondit faciem, cum vidiſſet lumen. Vidit ſignum magnum, ſcilicèt Verbum in carne venturum: & vultum avertit à viſione, mira cordis gratitudine: ſiquidem oculos, quibus Verbum in carne proſpexit, fas non erat in terrenis collocare. Ad quid lumina, viſà glorià? Ad quid oculi, ſi plus non poteſt videri? Abſcondat igitur faciem, quam deſiderabat ad viſionem: etenim oportet caligare lumina, ubi non poſſunt viſis videre maiora.

Exod. 3. 3. — Verſ. 6.

Deo homine viſo, terrena cuncta fugiat cogitatio.

Haud

Celſ. 7 Haud aliter contigit ſeni Simeoni. *Cæcus erat* (ait Celſius de *Incredulitat. Iudæor.*) *& ad pueri contactum in templo recepit viſum.* Caligaverant oculi eius, & videre non poterat: ſed ut intellexit eſſe in terra, qui habitabat in gloria; Verbum Dei factum carnem, habitu inventum ut hominem; naſci ex genitrice, natum ex Patre; redimi Redemptorem, virgineam maternitatem (ſit nota blandiminis argumentum inconcuſſæ veritatis, apud Auſon. *Epig.* 7.

Miracula viſa à Simeone in præſentatione Chriſti.

Auſon.
Ante omnes alias felix tamen hoc ego dicar:
Sive Deum peperi fœmina, ſive virum.)

Deum infantem, matrem virginem, in templo Auroram & Solem; oculi eius receperunt lucem. Aptiùs, quia verè, quàm de falſo Numine Vates lib. 3. *Metam.* Fab. 9. (intellecta applicatione cum grano ſalis) erumpentibus radijs deitatis à corpore Solis, dicere quibat infantem habens in uinis:

Ovid.
Nil ibi quod credi poſſet mortale videbam:
Et ſenſi & dixi ſocijs, quod numen in iſto
Corpore ſit dubito; ſed corpori numen in iſto eſt.

Dixit ſenex, quia vidit; ſed illicò ut vidit, lumina claudi petit: *Nunc dimittis ſervum* (ait) *quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Oculos exorat claudi, quia viderunt oculi? Lumen recipit cæcus, ut videat inviſibile lumen; & intendit, quia iam viſum, in cæcitatem? Utique: concupivit, ut perderet; & deſideravit oculos, ut amitteret. Nihil videndum erat in mundo viſis ſimile, nec cogitatione æquale. Nihil ultrà; cùm habitaret gloria in terra noſtra: & optat iurè ſine lumine lumina cæca, quia nihil ultrà. Viſionem hanc magnam deſiderabat aſpicere: vidit quod deſideravit, & oculos negligit: igitur qui vidit gloriam, piget reſpicere terram. Altiora in mundo videre nequibat, & renuit oculos, ut videret altiora. Ad quid igitur oculi, ſi viderat quicquid poterat videri? Vernaculè: *Era preciſo cegar, no aviendo en el mundo otra coſa que ver.*

Luc. 2. 29. 30.

Deus in noſtra natura viſo magna.

8 Si oportet prævenire Solem, eius præoccupemus faciem. In partibus Septentrionalibus (ubi habitatores ferè in tenebris, quaſi in mortis umbris, latera deſignando Aquilonis, Luciferi ſedes) Sol per ſex menſium ſpatia regiones fugit. Cùm autem tempus apparitionis æſtate venerit; *Excubias locant* (ait Olaus Magn. de *Gentib. Septent.* lib. 1. cap. 1. & 5.) *in iugis montium, ut albeſcente cœlo, tubarum clangor Solem excipiat.* Currente tempore Sol magis appropiat: & inter excubias vigil ſingulariter plauditur, quippe nunciat: *Cras videbitur.* Haud aliter in ortu Solis iuſtitiæ quotannis contingit homini. Totum pectus umbræ ſunt propter cæcitatem criminum, redactâ ratione in abſtruſa tenebrarum. Mœret cor, ſed hæret pectori ſpes, quòd Sol Iuſtitiæ orietur in nocte, ut eius divina claritas illuminet tenebras. Haud meretur adventum, & expectat Solis ortum. Luceſcit iam? Propè eſt. Quando videbitur? Cras. O hominem felicem! Cras videbis Solem, & videbis amorem. In ſenſum meliorem vertam pro pervigilio Solis, quod Catullus in pervigilio Cupidinis.

Ol. Magn. — Ibidem

Quo plauſu Septentrionales excipiant Solem?

Cras amet qui numquàm amavit:
Quique amavit, cras amet, — Catull.

Videbitur à cunctis hominibus, fauſta ſors!
Humor ille quem ſerenis aſtra rorat noctibus.
Naſcetur, vel in pruina & glacie hyemis,
Ver novum, ver iam canorum, ver, natus orbis.
Hybla totos fundet flores, quicquid annus attulit.

Nativitas Chriſti gaudium orbis.

Ut vigeant & floreant candore puro roſæ,
In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.
Mater lactabit ubere de cœlo pleno, quippe integerrima virgo, & pro ſingulari miraculo,
Mane virgineas papillas ſolvet humenti peplo.
Ipſa venas, atque mentem permeante ſpiritu,
Intùs occultis gubernat procreatrix viribus,
Perque cœlum, perque terras, perque pontum ſubditum.
Pervium ſui tenorem ſeminali tramite
Imbuit, iuſsitque mundum noſſe naſcendi vias.

De Spiritu Sancto conceptum Virgo mater alit.

Bibant ergo animæ ignita pocula charitatis,
——— Deque amoris oculis,
Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris.
Nemo à felicitate arcetur. Nemo, etenim,
Ipſe Amor puer rure natus dicitur.
Supervacuæ partui Virginis-Matris ancillæ:
Diva floribus
Præſes ipſa iura dicit: adſederunt Gratiæ.

In præſepio exponitur.

Haud eget, eſtò ſola, famulatu: pro blandimine, pro oblectatione, pro ſui obſequio
Hunc ager, cum parturiret ipſa ſuſcepit ſinu,
Ipſa florum delicatis educavit oſculis.
Cœleſtem erat orbis ſanè viſurus paſtorem:
Subter umbras cum maritis ecce balantum gregem.

Partui Virginis aſtiterunt Gratiæ.

Naſcetur in lucem Gentium: quapropter
Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,
Quæque ſilvas, quæque lucos, quæque montes incolunt.
Minimè quia nudus amor fugit angelicos comites:
Iuſsit omnes adſidere pueri mater alitis.
Iam choros videres feriatos noctibus
Floreas inter coronas, mirteas inter caſas.
Et canoras non tacere Diva iuſsit alites,
Ut putes motus amoris ore dici muſico.

Mundus exultat.

Jam

Iam Deus ultionum filius rhinocerotis iram depoſuit curvus in gremio Virginis.

Vulnerat amor corda, dum proijcit arma.

Ite ninphæ poſuit arma, feriatus eſt amor,
Iuſſus eſt inermis ire, purus ire iuſſus,
Neu quid arcu, neu ſagitta, neu quid igne læderet.

Trahere corda ſatagit in vinculis charitatis, & lachrymis manantibus ex oculis. Percutere intendit pectus, quia

Totus eſt in armis idem, quando nudus.

Concordent ergo amores, quos liget mutua charitas, & amplectatur felicitas: igitur

Cras erit, qui primus ab æthere copulavit nuptias.
Deſignavit pectoris igniferi rutili flamma
Cras amorem, qui latebat veſte tectus ignea.

Ignem venit mittere in terram cordium: non ardere tot ignibus, erit ingratum. Si quis amare neſcit, cras in amore diſcet: ſi quis amavit, amabit: etenim ſi ille ad nos amore trahitur, trahamur amore, ut reſpondeamus tantæ dilectionis fidei. Cras veniet. Felix nuncium! Aperiat ignis pectus, ut promat gaudium. Cras veniet. Amanti longa pœna, quamvis brevis diſtantia. Tempus utique longum, ubi amantis à tempore pendet ſolatium. Cras amet, qui numquàm amavit. Cras. Videbit homo ſalutare Dei?

Urget in amorem amore.

9 *De cœlo expoſitus eſt infans*: ait Tertulianus de *Carne Chriſt.* cap. 12. Verbum caro factum eſt, ut videat carnem factum omnis caro. Iacebit in præſepio, ut viſant humiles, & ſignabitur de cœlo, ut ſalutent reges. Nemo ab huius alacritate participatione ſecernitur: una cunctis lætitiæ communis eſt ratio. Fœmina circumdabit virum: Reges invenient puerum: paſtores infantem: peccatores Salvatorem: nobis parvulis promittitur parvulus. Exponitur ergo cunctis, & iuxta capacitatem recipientis. Expoſitus infans dicitur, cuius ignorantur parentes: & vividè deſcribitur infans ſigno mirabili expoſitionis; equidem mundus nec cognovit dignitatem Patris, nec excellentiam ſingularem genitricis. Expoſitus non eſt cuius eſt, ſed recipientis ut proprium, igitur exponitur ut ſit eius, cuius ſit. Infans hìc cœleſtis corda aliena inquirit, ut ſint propria domicilia: & relinquit impulſus amore propria; quandoquidem propter hominem in cœlo reliquit Patrem, & in cruce genitricem. Expoſitio, infelicior ſors in infante; cùm priùs diſcat pati, quàm guſtet vivere. Vix naſcitur cùm deſeritur. Invenit, vel invenitur ab acerbitate doloris, priuſquàm oculos aperiat in uſuram lucis: & infantem cunctis exponit cœlum, an aliquis amore introducat in domum. Quicumque voluerit, infantem expoſitum ſibi ſumit: & de cœlo exponitur viventibus infans, an intra cordis clauſtrum excipiat charitas. Felix, qui ſuſcipit: miſer qui reſpuit: igitur ſi ſortem abdicit cor, non eſt felix, quia non vult: & indulget, mori pectoris ingratitudine, qui pro corde anxiè moriebatur amore.

Tertul.

De cœlo Infans exponitur, ut à corde ſuſcipiatur.

10 Contemplemur huius amoris ſtudium in obſequium animarum. Expoſitus infans ferè nudus (frigore contremiſcens, ſi hyemis tempus) & extendens brachia, & manus, cupiens pro fomite pectus; vagit quaſi querulus de cœlo, quòd vitam conceſſerit, ut deſertus amitteret, quin vires præſtaret, ut fugientem quæreret. Agit inarticulatis vocibus, quod nequit viribus, retinens tranſeuntes per viam, ne ita tranſeant: & ita exponitur hominibus mundi Salvator de cœlo; ut illum excipiat miſerabilis homo, & per receptionis obſequium, ſummam recipiat felicitatem bonorum. Erit qui tranſeat? Erit qui proprijs, lachrymas infantis non abſtergat? Erit qui videat ſiccis oculis fletum expoſiti pueri cœleſtis? Erit nudus, qui vel arbuſta vacua veſtit frondibus? Erit ſine tunica, dum pectus habet præcordia? Nil quo foveatur habet in tempeſtate frigoris, niſi igne ardentis amoris. Ipſe clamat, ut excipiatur, & deſeritur. Cœlum exponit, & nemo ſuſcipit? Obturat anima aſpis aſtuta vigiles aures, ne audeat incantantis ſapienter conſonas fletibus voces? Gemit homo, ut homo venias, & non reſpondes, dum vocas?

Quomodò exponitur?

11 *Veniens veniet*: dicit Habacucus Salvatorem expectantibus. Quid hoc? Veniet ſanè qui venturus. Non veniens veniet, vel veniens quit non venire, ut dicat Salvatorem venire venientem? Profectò. Phraſis eſt pulchra, explicans venientis repulſam, vel ſuſceptionem; dum in hominum cordibus diſponit requiem. Probo veniens veniet, quippe virtutibus adventum prævenit; & præibit in occurſum charitas, ubi expoſitus fuerit de cœlo infans: peccatori autem, quamvis veniat non veniet; quia non veniet, ut in corde eius inhabitet: igitur cùm criminibus arceat, quem expectat; ſi illi non venit, quaſi non veniſſet. Quid intereſt ortus lucis oculis cæcis? Veniens veniet, ſi cor non habet cauſam, cur infans ploret: & non veniet cùm venerit, quærens hoſpitium; quia anima advenienti, & pulſanti præcludit oſtium.

Hab. 2. 3.

Non naſcitur, ubi non recipitur.

12 Audiamus iterùm hominis fletus. *Cuſtos quid de nocte? Quid?* Quando videbitur lux? Quando effulgurabit Sol? *Quid de nocte?* Ergo reſponde. *Dixit cuſtos: Venit mane & nox* (Alapid. *Manè, & tamen adhuc nox eſt.*) *Si quæritis quærite.* Orto iam Sole, & adhuc tenebræ? Utique. Ut homo excuteret cæcitatem, venit in mundum: & adhuc viget imperium tenebrarum, quia per eius præſentiam Sol mundo illuxit, & tamen in corde vetuſta cæcitas manſit. Manè venit, & necdum lux Solis fulſit. Nox nato Sole videtur, cùm eius nativitate nox ſicut dies illuminabitur? Si exortum eſt in tenebris lumen; lux non illuminat hominem? Sanè. Exortum eſt dumtaxàt rectis corde: & manent peccatores cæci, & obcæcati in tenebris, quia nolunt oculos aperire, ut reſurgant à peccatis. Sol oritur, ut illuminentur animæ: & adhuc in illis quæ lux tenebræ; quoniam cæco non naſcitur fulgens lux, & oritur quaſi non oriatur Sol. Illi claritas umbra, fortuna miſeria, felicitas calamitas, quia eſſe ſub peccatis putat delicias. Venit manè, & adhuc nox, quoniam illi vel lux Solis non eſt lux.

Iſai. ubi ſup. Verſ. 12.

Peccatori quaſi non natus.

13 Nota quod additur à cuſtode. *Si quæritis quærite.* Qui quærit, invenit: ſignum eſt, niſi inveneritis, quod non quæritis. Parum eſt quærere, ni contingat invenire. Nihil eſt ſequi, ni ſequatur conſequi. Quæritur, & non invenitur, quia non invenitur, ubi quæritur. Cauſas diximus *Didaſc.* 2. num. 9. Quæritur in mundo, & non invenitur qui quærundus in præſepio. Quæritur in vanitate, & non obviat felicitas, ſi ſub titulo ſancto quæritur vanitas. In delicijs quæritur, qui numquàm invenitur in delicijs. Quæritur avidè, ubi commodè quæritur: at ſi quæritur commodè, non invenitur. Quæritur infans extra cor quærentis: & non invenitur, qui de domo ſolummodò ſatagit cordis. Invenietur enim Sol; ſi obſervatur illud: *dolentes quærebamus te*: igitur audient animæ aliter quærentes: *Quid eſt quòd me quærebatis?* Minimè vel quæſitus invenietur in cordibus, ni corda præparentur ad ſuſceptionem virtutibus.

Non quæritur, ſi quæritur ubi non invenitur.

Luc. 2. 48. 49.

14 Exierunt igitur Sponſo venturo in obſequium *decem virgines, quinque fatuæ, & quinque prudentes.* Hæ nactæ ſunt viſionem Sponſi introeuntes in gaudium: illæ verò remanſerunt extra nuptias in opprobrium, quibus Sponſus ianuam clauſit, & invocantes uti dominum non novit. Tanti eſt diſcrimen, quòd conſtituat beatitudinem, vel damnationem. Omnes ornaverunt lampades, aliter tamen & aliter; quippe prudentes in ſplendorem intenderunt olei, fatuæ autem in ornatum vitri. Oleum eſt, quod ardet: vitrum, quod lucet. Lucere indicat oſtentationem, ardere charitatem: & non invenitur Sponſus expectatus, quæſitus futili ſplendore vanitatum, ſed charitate inextinguibili cordium.

Matth. 25. 2.

Non invenitur in vanitate, ſed in charitate.

Non videre Sponſum, pœna fuit omiſſionis in ipſa præparatione; quippe expectabant, minimè fotà charitatis luce: igitur expectabant Sponſum, oculis ductis ſplendore vanitatum, & ſtabant in foro, adveniente dilecto. Expectare debebant expectantes in via (ne in nocte earum extingueretur lucerna) oleo ſancto virtutum, quibus in corde diſponitur habitaculum. Sine huiuſmodi cultu ſtudebant gloriæ: iureque dicuntur in diſpoſitione fatuæ; quoniam ad adventum Sponſi præparabantur ſine præparatione. Non fuit amoris fiducia, ſed vanæ fiduciæ audacia; igitur non expectabant, quæ alibi fugerant. Confidebant utique poſſe Sponſum inveniri titulo charitatis quærendæ, & fraudatæ ſunt à deſiderio; quoniam Sponſus charitate invenitur & non titulo. Novum iter cogitarunt, quod non iter in Sponſum: etenim huiuſmodi non invenitur felicitas, ubi regnat in cordibus ſingularitas. Amor proprius ſecrevit à cæteris, & diſceſſerunt dolo inanis cogitationis: quandoquidem decreverunt quærere, ubi ſciebant Sponſum non inveniri.

In vanitatibus eum expectare non eſt fiducia ſed audacia.

Amittitur, dum inter vana quæritur.

Si reperire vocas, amittere certius.

Canit vel Ethnicus lib. 5. *Metam.* Fab. 8. igitur non quærunt quærentes, ſed amittunt, quæ alibi & aliud quàm Sponſum quærunt. Quærere debent in corde, in cruce, in mortificatione ſenſuum, voce lachrymarum, humilitate, pectoris compunctione, cogitationis cuſtodià, linguæ clauſura, quia *in puritate cordis, & compunctione lachrymarum nos audit*, & venit (ut ait S. Benedictus *Regul. S.* cap. 20.) Sponſæque fatuæ non inveniunt Sponſum; quoniam ſe & non Sponſum quærentes quærunt: & quærunt extra ſe ſine virtutibus, cùm quærere debeant, ut naſcatur in cordibus. Quid enim illis, quòd naſcatur ſplendor coruſcans Solis, ſi non naſcitur illis, & clauditur ianua, quæ cunctis aperta?

Ovid.

S. Bened.

Ubi invenitur?

15 Angebatur Ioſephus uteri Sponſæ Virginis pondera videns, & ſecum quæ mira non capiebat, pugnantibus cogitationibus volvens. Talia igitur ſecum in pectore cogitanti (ut fugeret cogitatio, torpeſcunt membra ſopore) apparuit Angelus dicens: *Noli timere: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Pariet autem filium.* Sat ad quietem Ioſeph, cæterùm nobis non ſat. Quomodò natum pariet? Si pariet, quomodò peperit? Si ut naſcatur, expectat temporis legem, qua le-

Matth. 1. 20. 21.

ge natus ante nativitatem ? Exemplum de-
bet eſſe Sponſarum , Solis iuſtitiæ expectan-
tium adventum. *Antequàm parturiret pe-*
Iſai. 66. 7. *perit* : igitur priuſquam Chriſtus naſcatur
orbi, debet dilectus in cordibus noſtris naſ-
ci. Pariet , quod in ea natum eſt : quippe
ut fruamur utilitate lucis , Chriſtus debet
naſci in nobis. Non tantùm Sol iuſtitiæ naſ-
Nil intereſt, quid Chriſtus nobis naſcatur, ni naſcatur in nobis. citur , quando naſcitur; ſed etiam dum or-
tus eius virtutibus prævenitur: & verè dici-
tur *Natum pariet* ; dum ortum ita præve-
nit : equidem requievit in Virginis habi-
taculo , priuſquàm Virgo natum reclinaret
in præſepio. Aurora itaque pariet , quòd
concepit : ſed quod in ea mirificè natum
pariet; quoniam maior Virgini gloria, quòd
in ea natus , naſciturus ex ea. Magnum ſa-
nè beneficium lucis , ſed non magnum do-
2. Cor. 4. 6. nec lucifer oriatur in cordibus veſtris. *Illu-*
xit igitur Chriſtus *in cordibus noſtris ad il-*
luminationem : igitur rite tunc celebratur
illuminationis orbis ſolemnitas , ſi in cordi-
bus noſtris eius qui illuxit , obtinetur nati-
vitas.

16 *Perſæ* (ait Herodotus in *Mel-*
Uſus Perſarum in natalitio. Herod. *pom.*) *pridie feſtorum ſerpentes occidebant*:
& ex eo quòd audierant, Appollinem primà
infantià ſerpentem ſagittis confeciſſe , &
Herculem ſuffocaſſe , uti notat Macrobius
Macrob. lib. 1. *Saturnal.* & canit Tragicus in *Her-*
cul. Furent. Act. 2. v. 216.
Hercules & Apollo infantes. Senec. ——— *Numquid immunis fuit*
Infantis ætas ? Monſtra ſuperavit priùs,
Quàm noſſet.
Apud Romanos valuit ritus natalitia cele-
Goltz. brandi, ferarum plurium effuſo cruore: hinc
Hubertus Goltzius de Adriano dixit : *Na-*
Quiſnam mos apud Rom. imperatores in natalitijs? *talem ſuum mille ferarum ſanguine cruen-*
tavit. Feræ ſunt crimina , ſerpentes pec-
cata : moriantur ergo averſa volunta-
te , ne regnet peccatum in veſtro mortali
corpore. Delectabitur infans ab ubere ſu-
per foramine aſpidis, ut evellat venenum à
pectore hominis; & in cavernam reguli ma-
num ſuam mittet , ut ſerpentes à corde fo-
tas ſuffocet. Moriantur, & mortuæ non re-
ſurgant, ne vitam viventes adimant. Mo-
riantur , & aſtruat candidum pectus ſanguis
ferarum effuſus. Moriantur , quibus mori-
mur, ne moriamur. Orietur Sol iuſtitiæ , &
ſanitas in pennis eius. Iam lucet ſanitas, ſi
gravat infirmitas: micat antidotum , dum
urget conditionis venenum. Exultet ſanctus,
quia appropinquat ad palmam: gaudeat pec-
cator , quia invitatur ad vitam.
Senec. ——— *Stelliger mundus ſonet,*
Flammaſque & hic & illo iaculetur polus.

DIDASCALIA VIII.

Perfecta obedientia legem neſcit.

1 NEſcio quo acumine dixit Ber- Bernar.
nardus in *Cantic.* Serm. 7.
ſed explorandum acumen. An quia lex non
eſt poſita iuſto , cuius lex ratio, facientis vo-
luntate , quæ mandata lege ? Cùm enim ra- *Lex amoris nulla lex.*
tionem ducat iſthæc fulgida lux , adverſus
huiuſmodi non eſt lex. Unde Boëtius de Boet.
Conſol. Philoſoph. v. 47. Metr. 12. libr. 3.
Quis legem det amantibus?
Maior lex amor eſt ſibi.
Verùm ſi obedientia cognoſcitur per præ-
ceptum , quomodò legem adimplebit , qui
præceptum non cognoſcit ? Si legem non
habet, non obedit : ſi obedit , legem cognoſ-
cit : quo igitur pacto legem poteſt obedien-
tià cognoſcere ; & legem cognoſcendo , ipsà
obedientià neſcire ? Quia legem non ad-
implet propter legem , ſed tantùm propter *Obedit perfecte legi, qui ſine lege obedit.*
amorem: & legem neſcit, dum legem implet;
quippe liber ſubditur præcepto legis , ſine
legis præcepto proper legem charitatis. Eſt
obedientia , & obedientia perfecta: obedien-
tia legem cognoſcit , perfecta verò obe-
dientia legem neſcit; quia legem adimplet
opere , dum excluditur á lege. Ubi huiuſ-
modi obedientiæ perfectio videnda , niſi in
perfectionis exemplari Deipara ? *Suſcepit*
Mater totius puritatis purgationis legitimæ
ſpeciem ; *ut ſimul & obedientiſſimæ humili-* Guerr.
tatis virtutem , & evangelicæ purificatio-
nis inſinuaret veritatem : inquit Guerricus
Abb. Serm. 1. in *Virg. Purific.*

2 Ergo audiamus legem , ut videa-
mus Virginis perfectionem. *Mulier ſi ſuſ-* Levit. 12. 2.
cepto ſemine pepererit. Ergo excluditur
Virgo-Mater à lege purificationis per latam
purificationis legem. *Alioquin niſi paritu-* *Virgo non cognovit legem, niſi ut obediret.*
ram prævidiſſet Moyſes ſine ſemine Virgi-
nem ; *quæ neceſſitas erat de ſuſcepto ſemine*
fieri mentionem ? Ita in Serm. 3. de *Purif.*
aſtruit Bernardus. Excluſa eſt ergo Vir-
go , quia locum non habebat purificatio vel Luc. 2. 22.
ex ipſa lege. Qua enim lege , *impleti ſunt*
dies purgationis Mariæ ? lege amoris , & non
lege: igitur obedientia perfecta amoris le-
gem excipientem cognoſcit , & in obedien-
tiſsimæ humilitatis virtutem , legem neſcit.

3 *Impleti ſunt dies purgationis eius* Ibid.
ſecundùm legem : & intereà divinæ ſtirpis
alumnus ſiſtitur templo , Virgoque læta ge-
nitricis dignitate , miſto oneri gaudebat ho-

nore : ſine pondere pondus , potiùs quàm
brachia , deferebat pectus.
Inque ſinu puerum qui nondum impleverat
Ovid. *annum.*
Dulce ferebat onus, tepidique ope lactis alebat.
Quàm longè cecinit à propoſito Ovidius
Lex per illam impleta, à qua ſignabatur excluſa. lib. 9. *Metam.* Fab. 7. Venit ergo Mater pu-
riſsima virgo , ut ſecundùm legem fieret pu-
rificatio. Secundùm quam ergo legem ? *Se-*
cundum legem Moyſi. Secundùm Moyſis
legem à purificatione ſignabatur immunis:
& purificatur iuxta præſcripta legis , à qua
perſpicuè videbatur excluſa ; ut rutilaret
obedientia perfecta , quæ quidem adimplet
legem , dum legi ſubdit legis immunita-
tem.

4 *Nunc cognovi* (dicitur Abrahæ exten-
Geneſ. 22. 12. denti manum , ut immolaret filium) *quòd*
timeas Dominum : ideſt, quòd ames , ut ſæpe
vidimus. Cur nunc ? In tot demonſtratio-
nibus non cognita fides pectoris , ut nunc
cognoſcatur excellentia amoris ? Tot præ-
cepta executioni mandata , & difficilia ala-
critate completa , nonne oſtentarunt dile-
ctionem Dei ? Profectò: quare igitur dilectio
Abrahæ cognoſcitur magna nunc ? Immu-
nis erat legis in victima immolationis : igi-
tur iuxta promiſsionis conditionem , illi di-
Ibid. cap. 21. 12. ctum : *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Fides
data filium à morte reddebat immunem:
Summa charitas, ubi legi ſacrificatur immunitas. mori debebat iuxta latam legem : & nunc
cognoſcitur amor in Deum , quia nunc ſa-
crificat filium ; igitur non cognoſcit in lege
lata exemptionem , ſed ſolummodò legem.
Cognoſcitur ampliùs charitas , ubi amplior
in opus invenitur difficultas : nuncque amor
patris cognoſcitur , ubi nunc filius liber à
lege ſacrificatur ; quoniam amor pervenit
in ſummum culmen , dum legi , adeſpotus
lege , immolat immunitatem.

5 Præmium ſequitur inclytam opera-
tionem , & ideo iuxta numerum ſtellarum
Verſ. 6. Abrahæ multiplicabitur ſemen. *Quia feciſti*
hanc rem. Quam ? Quid fecit ? Hanc rem.
Oleaſter *Nomen quo laudet , non invenit* : ait Oleaſter
hic *Ad mor.* Res ita ſuprema expellit in ſigni-
ficationem nomina. Satis dicitur, dum dicitur
factum , per ſe ſolummodò notum: etenim ſi-
lentio & prætermiſsione magis poteſt dici,
quod dici non poteſt: & nequit præ magnitu-
dine exprimi quantum factum , legi propter
obedientiam ſummittere privilegium. Hinc
Verſ. 2. in *terram viſionis* mittitur Abraham , ut per-
ficiat ſacrificium de filio , ob cuius facinus
Maius ſacrificium ſacrificare privilegium. amori pectoris adveniet illuminatio. In ter-
ram lucidam magis ab actione , quàm à lu-
ce , vel nitidam ab operis ſplendore. In ter-
ram , ubi vivendo mirabilia, quæ non viden-
tur in terra : etenim ſi filium ſacrificare,
plauditur magnum ; maius utique , ſacrifi-
care à ſacrificio liberum : igitur ſpectabilior
eſt viſio , ubi fit ſacrificium de privilegio.

6 Exactores tributi regij , Chriſto in-
troeunte Chapharnaum , dixerunt Petro: *Ma-* Matth. 17. 14.
giſter veſter non ſolvit didrachma ? Singu-
la familiarum capita binas drachmas pen-
debant ſingulis annis Romano Principi,
uſui deſtinatas Capitolij , ut refert Ioſephus
de *Bell. Iudaic.* lib. 7. cap. 26. Interrogatio-
ni ait Petrus : *Etiam.* Cùm autem referre co-
naretur Chriſto quæſitum ab exactoribus,
prævenit eum Salvator : dicens : *Quid tibi*
videtur Simon? Reges terræ à quibus acci-
piunt tributum vel cenſum ? A filijs ſuis,
an ab alienis ? Et ille dixit , Ab alienis. Di-
xit tunc Salvator : *Ergo liberi ſunt filij* : ſed Verſ. 25.
vade piſcatum , hamum mitte , piſcem qui
aſcenderit tolle , ſtaterem invenies , *da er-* Verſ. 26.
go pro me & te. Haud facilè capitur. Ar-
gumentum opponitur ſolutioni tributi , &
tributum contradicit cauſæ. *Liberi ſunt fi-*
lij : Ergo ſolve , non eſt conſequens. *Liberi*
ſunt : Ergo da didrachma pro me & te ? No-
bis eſt filiorum libertas : legitimè ſequitur,
Ergo non ſolvas : cur igitur & explicat liber- *Hic ſummitas perfectionis.*
tatem , & urget in vectigalis penſionem ? Ut
actum heroicum eliceret , dum exemptio-
nem à tributo expreſſit , & nihilominùs ſol-
vit. Non eſt magni , dum ius eſt , ſubijci le-
gi , ſed ſubijci , ubi in leg. ius non eſt ; quip-
pe privilegium à lege ſubtrahit ius : dicit-
que Chriſtus , Pende didrachma pro me;
quoniam in obedientia nihil cogitatur ſum-
mum , ni in obſequium perfectionis ſubijcia-
tur privilegium. Adimplere legem , dum in
opera lex urget ; eſt obedientia laudabilis,
ſed communis : agnoſcere privilegium con- *In captivitate libertatis.*
tra legem , & tributum pendere ; eſt ſum-
mitas perfectionis : & ſolvi Salvator iubet,
quæ ut adeſpotus non debet ; ut clareſcat
libertas obedientiæ , amiſſa propter legem
libertate : igitur quæ non lex ſibi , ſibi deſti-
navit legem ; illico ut ſubiecit legi liberam
immunitatem.

7 Deinde. Publicani dixerunt : *Magi-*
ſter veſter ſolvit didrachma ? Ideſt , habet à
principe privilegium , vel aliquem alium
exemptionis titulum ? Ita cogitat hic Alapi-
de. Habet ? Habet. Tributum ſolvit ? *Etiam*: Verſ. 24.
reſpondet Petrus. Si exemptionem habet,
qua lege ſolvit ? Quia exemptionem habet, *In oblivione exemptionis.*
igitur nil ſibi videretur facere in obſequium
virtutis , ni ſummitteret legi ſummam æſti-
mationem libertatis.

Ulteriùs. Staterem , ſeu duplex didrach-
ma vel tetradachma invenies in ore pi-

Verſ. 27

Ex tributis dum ſolvitur, plus exigitur.

ſcis, qui quidem erit in penſionem vectigalis. *Da* igitur *eis*, ſed *pro me, & te.* Quare etiam pro Petro, & non dumtaxàt, pro Chriſto? Duplum erat ſtateris pretium, & pro penſione duorum: unde duplum pretium *Da*, dicit Petro Chriſtus, *pro me & te*; quia in tributis pendi non congruit minus, vel plus: etenim ſi plus ſolvitur, plus exigitur: nequitque plaudi liberalitatis clargitio aut oſtentatio, cum reliquorum diſpendio, *Da eis pro me, & te.* Habet iuſſum, perſpicuum argumentum. Hoc tributum ſolummodò ſolvebatur à capite familiæ, quapropter vocabatur capitale. Hinc Syrus legit: *Didrachma capitatim*: ideſt, impoſitum ſingulis capitibus domus.

Syr.

Facere non debitum debitum, eſt obedientiæ faſtigium.

Si Chriſtus caput erat, & non Petrus, cur imponitur vectigalis ſolutio pro ſe & pro Petro? Petrus non debet ſolvere. Sanè. Petrus igitur ſolvat, quia non debet. Superbia hominis contrita eſt, ſolvente Chriſto tributum, & habente, ne ſolveret, privilegium: igitur ſi ſubiectionis ſignum eſt, dum homo tenetur lege, debita ſolvere; humilitatis eſt gloria, ſolvere, quaſi lege, quæ non debita. Ultra debita ſtudium perfectionis elevat culmen: & iubet Chriſtus Petro immuni pendere, quæ non debet iuxta legem; quia humilitatis ſuperioris eſt faſtigium, ſi obedientia conſtruit ex immunitate debitum. Liber eſt Petrus à vectigali, & quia liber ſolvit. Ut ſolvat, non habet legem, ſed legis habet amorem: & legem neſcit, dum legem cognoſcit; quippe ut adimpleat legem, ignorat immunitatem.

8 Præterea. Neſcit homo legibus ſubijci, ſub imperio philautiæ, & ſuggeſtione ſuperbiæ. Quomodò, quibus non tenetur, obivit, ſi débita reſpuit? Ut retundatur huiuſmodi cordis protervitas, exponitur à Chriſto ſubiectionis humilitas: iubetque Petrum liberum, ſolvere cenſum; ut licèt à lege non teneatur, adimplere legem; ſubijciatur legi dumtaxàt per ſubiectionem. Servus inutilis eſt, qui quæ præcipiuntur, facit.

Ubi non eſt lex, conſtat perfectionis ius

Servus utilis, qui facit ultra legem, quæ lex non præcipit: & præcipit Chriſtus Petro, quæ minimè mandat lex; ut in libera actione conſtet perfectionis ius: igitur magis inſigne, quòd cenſus ſolvatur ex libertate: & ſervus utilis per ipſam exemptionis libertatem, profiteatur obedientiæ ſervitutem.

9 Deniqae. Liberi ſummus, verumtamen *Pro me & pro te* ex ſtatere ſtatim ſolvatur cenſus. Perpende, *Pro me & pro te.* Liber ſum omni iure, tu verò liber à lege. Si liber ſum, ſolve tributa pro me, & pro te. Si ego pendo, pende tu. Haud quia teneamur ad legem, ſed quia perfectionis eſt ſummittere libertatem: igitur ſi non teneris tributa ſolvere, quippe familiaris, minimè caput familiæ; modò tenebris, cùm me ſolvere non debita videris: ſiquidem adimpleo præſcriptam legem, quin in opus adeſpotus habeam obligationem.

Quod ſubtrabitur privilegio auctoritatis habet auctoritas perfectionis

Lex non obligat: & modò magis obligat; quia obligat amore in legem, propter amorem. Servare auctoritatem privilegij, eſt auctoritas mundi, & minimè perfectionis ſtudioſi: qui quidem obtinet obedientiæ ſuperius culmen, dum auctoritate legis privilegium non habet auctoritatem. Servat mundus privilegio, quia habet uti hominum propudium eſſe in legibus, ſicut cæteri hominum. Similes eſſe hominibus, in quo diſsimiles, conſtruit ſummam perfectionis, propter legi ſummiſsionem, & legis immunitatem: & ſolvendum eſt tributum, dum habemus privilegium. *Da eis pro me & te*: etenim nil facimus, ſi non plus: & minimè declinamus ab obligationibus, cùm exemptiones ſubijciamus legibus.

10 Libertate donata erat Virgo-Mater ab ipſa lege, igitur Aurora Solis & genitrix lucis, ſine tenebris legis. Immunis ergo vectigali rituum legalium, quippe virginitas excuſſerat iugum: & purificatur? Utique. Summittitur legi, obedientiæ dilectione: & obedientia perfecta intendit in legem, nequaquàm in libertatem.

Legem facit obedientia contra privilegia legis.

Privilegium eſt lex legis, ſeu contra legem lex à Legislatore data, ob puram gratiam, vel propter egregia merita: utrumque in excellentia Virginis-Matris, quæ quidem extra legem ſubditur legi purificationis; quia obedientia obedientiæ reſpicit perfectionem, ſemper ignorans exemptionis legem. Si teneretur, eſſet obedientia communis: ſtudet Virgo excellentiæ perfectioris: & exceſſus ex purificatione puritatis exprimitur; igitur lege, à qua excipitur, tenetur. Duos pullos columbarum pro matre lex erat ſolvi, & quinque ſiclos pro infante. Debent ſolvere? Nequaquàm. Ergo ſolvant. Debet redimi Redemptor? Inauditum. Ergo ſolvatur tributum. Debet purificari puritas? Non eſt lex. Ergo purificetur, ſi excipitur.

Legi Virgo ſubijcitur, quia immunis legi.

Ad cenſum nulla tenentur lege. Ergo cenſum debent ſolvere. Huiuſmodi concluſiones ab obedientia perfecta inferuntur legitimè: igitur cauſam, quam habet ad obedientiam, eſt nullam habere cauſam. Hiſpan. *La razon que ay para no obſervar la ley, para obedecerla, es la mas fuerte razon.* Excipitur ſanè à tributo legis, ſed non excipitur à tributo dilectionis, etenim

enim vel in exceſſu videretur magnum, ni non legi uti præcepto ſummitteret privilegium. Semper amor meditatur nova, & ſingularia, maximè in ſtudioſa obedientia. Hic flagrabat in pectore Virginis, quæ non tenebatur lege purificationis: & charitas ut oſtenderet amoris exceſsivi demonſtrationem, quæ lex ſibi non erat, fecit legem.

11 Imitata eſt Virgo filium, cuius ſemper avida ſequebatur exemplum. In amoris inſigne, ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum in mundum, factum ex muliere, *factum ſub lege*: ait Paulus.

Gal. 4. 4

Textus difficilis. Quomodò ſub lege, qui adeſpotus etiam ut homo, gratiâ divini ſuppoſiti? Quomodò ſub lege, qui ſupra legem? Quomodò intelligemus cum ipſa ſubiectione libertatem? Omnimoda immunitas ſervitutem legis ſubivit? Utique: verùm ſuſtinuit, *Quia voluit*: infit Suarius in art. 3. quæſt. 37. 3. part. D. Thom.

Suar.

Exceſſus amoris velle legem, quæ non legis

Quia voluit, legem ſuſcepit, & exceſſum amoris in ſuſceptione demonſtravit, quia voluit. Velle exprimit libertatem, ſervitutem admittentis. Teneri lege, obedientiam ſubeuntis. Quem obſtringit, ſubditur, quia lex: quem non urget, quoniam obedire vult: & cùm velle, exprimeret in lege & à lege libertatem Chriſti, Chriſtus fit voluntariè ſub lege; quia nulla maior in exceſſu amoris demonſtratio micat, quam legem ſibi facere, quod non obligat.

12 Mater Dei ſiſtitur cum filio templo, ut iuxta legem fieret puerperæ purificatio. Subijcitur purificationi, & quæ immunis, fit ſub lege. Quæ valet privilegio, premitur iugo? Haud ſubivit, quia non valuit, ſed quia voluit.

Privilegiū quod habebat Virgo dedit præcepto.

Velle, oſtendit libertatem de ſubiectione legis, vel exemptionis: & purificatur, ubi purificationi non tenetur; ut quod in actione liberum, videretur neceſſarium: unde liberam voluntatem facit puriſsima legem; ut exprimeret amorem: quippequàm cùm teneri voluntate, ad quod non tenetur lege, fit amoris ſtudium; claret fidei præclariſsimum obſequium, & ſumma demonſtratio charitatis, quod privilegium Virginis ſit iam privilegium legis.

13 Ex huiuſmodi amoris ſtudio curioſa exoritur quæſtio. Quid enim magis ſingulare, ſubijcere perſonam, vel immunitatem legi? Submittere perſonam, obteſtando immunitatem, eſt ſubijci legi, quia perſona vult ſubijci: igitur lex non teneret, ni velit teneri à lege, emancipatà pro lubito libertate. Subijcere exemptionem, eſt ſubijci legi ſine gloria ſubiectionis, propter ignorantiam incognitæ, vel occultæ immunitatis: ſiquidem ſubiectio tribuitur obſervantiæ legis, & neutiquàm diſpoſitioni voluntatis, quaſi velle abdicari libertate, voluntarium non eſſet, ſed obſervantiæ teneretur, vellit, nolit.

An magis ſingulare, perſonā vel immunitatem ſummittere legi

Vernaculè: *Como que no puede mas: como que no puede menos.* Poteſt ſanè obedientia ſumittere liberè legi perſonam immunem; verùm grave etiam legis amori, non dicere in ipſa ſubiectione voluntariam ſubiectionem. Subditur Chriſtus liberè tributo, Cæſaris legi: nihilominùs & obediendo dicit: *Ergo liberi ſunt filij.* In Purificatione Virginis nulla fit reclamatio pro puritate, ſed ſubditur legi, quaſi egeret lege purificationis. Vult ſubijci, ſed non dicitur, quia vult, nec ſubiectio libera, ſed iuxta legis præcepta. Fit ritus ſecundùm legem, quin immunis teſtaretur exemptionem. Fulget utcumque obedientiæ decus, dum inſtat iugum legis pati liberos: verùm dum purificatur Maria, lucet ampliùs obedientiæ præſtantia; etenim legi ſubdidit liberè puritatem, quin diceret exemptionem.

14 Iuxta Auguſtinum, uti vidimus *Didaſc.* 5. Dominus N. Ieſus *in paſsione pretium, in circuncifsione amorem & voluntatem oſtendit.* Ita Serm. 23. de *Temp.*

Auguſt.

In circuncifsione exceſſus voluntatis, ſpecimina flagrantis amoris? Quid demonſtrabit pectus, ſi ita ardet, dum cœpit opus? Quid in cruce, dum ita in circuncifione? Pretium tantummodò. Ubi obedientiæ perfectio? In circuncifione, & non in cruce, eſtò factus obediens uſque ad mortem. In paſsione ſeſe tradidit ignominiæ, omni venarum effuſo cruore.

Exceſſus amoris in ſubiectione abdicatio libertatis.

In circuncifione tantùm eſt paſſus ignominiam legis, effuſsis pro vulnere aliquibus guttis ſanguinis. Quomodò igitur in circuncifione ſubiectorum oſtendit voluntatem, ut voluntatis ſubiectio cordis explicaret amorem? In paſsione perſona ſubijcitur, ſed libertatem coram iudice obteſtatur, quippe ni paſsionem voluiſſet, non pateretur. *Non haberes poteſtatem* (dicit Præſidi) *adversùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.*

Ioann. 19. 11.

In circuncifione liber ſubditur legi, prætermiſſa libertatis proteſtatione. *Poſtquàm conſummati ſunt dies, ut circuncideretur*; ſubivit vulnus & legem, quin Salvator vel vulneratus indicaret exemptionem:

Luc. 2. 21.

& magis in circuncifione, quàm in paſsione coruſcavit virtus obedientiæ; quia plus eſt legi ſubdere legis immunitatem, quàm ſubdere perſonam immunem, exponentem exemptionem.

15 Amor cognoſcitur amplior in ampliore cordis fide, & fides in excellentia obedientiæ. Poſtquàm conſummati ſunt dies, cir-

circunciditur puer: poſtquàm impleti ſunt dies, purificatur circunciſi mater. Non auditur reclamatio Virginis pro exemptione puritatis. Quæ patet purificationis immunitas, videtur legis neceſsitas. Ita adimplet legis ritum, quaſi præceptum. Non videtur purificari, quia vult, ſed quaſi impelleret lex. Non videtur ſubijci, quia ſubijcitur, ſed quoniam purificatur: verùm exprimit obedientiæ ſublimioris excellentiam, ſubdens liberè exemptionem & perſonam: igitur ſi libertas ſecernit exemptionem à lege, ſubditur Virgo legi abſque ulla libertatis proteſtatione.

Subditur Virgo legi ſine libertatis proteſtatione.

16 Non abſre pingitur Amor cæcus & Argos. Vide Cartharium de *Cupidin.* quippe minus ille videt, dum cognoſcit. Qui ducitur amore, tantùm ſcit obedire: igitur non ſibi conſulit, ſed obedientiæ ſtudio, peſſundato privilegio: quoniam haud laudem collocat in libertate, ſed ſolummodò in ambita ſervitute, arcanà exemptione libertatis pro obſequio amoris, quod quidem amplius obſequium, dum videtur libera exhibitione neceſſarium. Amor eſt ſibi lex: & legem utique neſcit, qui præ amore exemptionem non cognoſcit. Obedientia legem ſcit, ut adimpleat. Perfecta legem ignorat: quoniam ut amor conſequatur gloriam, haud aliam legem noſcit niſi obedientiam. Legem ſcit obedientia, quam ducit timor: Virginis uti perfectam regebat amor: quandoquidem propter leges, leges cunctas ſubegit immunitatis. Eadem Virgo & mater, puritas purificata, inter tenebras legis ardens lucerna: & ut verbis Proſperi utar de *Provid.* v. 397.

Amor oculatus & cæcus.

Proſp.

Luce tegens, & nocte regens, eadem ignis, & umbra.

DIDASCALIA IX.

Unde mors irrepſit, inde vita prorupit.

Gregor. Nazian.

1 QUàm vera ſententia Gregorij Nazianzeni *Orat.* 9. patet in Domini cruce. Surrexit hominis vita, unde totius generis mors eſt orta: igitur inde convaluit humanum ſaucium genus, unde lethiferum vulnus. Ne ſua factura periret, hominum miſertus, Chriſtus inſtauravit opus: donavitque ſuis ſemper placatus (ait Sedulius lib. 1. de *Chriſt. miracul.* v. 27.)

Sedul.

——— Ut unde
Culpa dedit mortem, pietas daret inde ſalutem.

Olim ex curru triumphantis fiebat feretrum morientis. Ideo Picinellus lib. 24. *Mund. ſymbol.* cap. 3. num. 25. apponit epigraphe: *Funeribus, & triumphis*: igitur in ligno ex quo dæmonis victoria, ibi fuit victoria victa. Ex feretro ferculum fecit rex Salomon in opprobrium principatuum dæmonum: quandoquidem vicit hoſtes in prælio, palàm triumphans illos in ſemetipſo, ligno. *Viſibiliter filius Dei in carne crucifixus eſt* (ait Origenes Homil. 8. in *Ioſue*) *inviſibiliter in ea cruce diabolus cum principatibus ſuis*: ut fieret lignum feretrum, unde numerabant triumphum; trahereturque diabolus ligatus uti mancipium in pompam, dum cogitabat obtuliſſe lauream: etenim Chriſti feretrum morientis, factum eſt currus triumphantis. Optimè canit N. Hæftenus lib. 3. *Regiæ viæ Cruc.* cap. 11.

Picinel.

Currus triumphantis lectulus erat morientis.

Origen.

Quam tuleram, tulit hæc me crux: cruci & ipſa volucres
Adde rotas, ſi vis currere, currus erit.

Crux currus.

Hæft.

2 Apud Ethnicos Deus ſalutis pingebatur ſedens in ſolio cum laurea, in manu habens bacillum nodoſum confertum ſpinis, altera manu premens caput draconis. Ita Pauſanias in *Corinth.* & Vincent. Chartharius in *Apoll.* fol. 57. Res potior verbis. Præcellunt ſacra profanis, quantum favillis ſidera. Lignum nodoſum eſt crux, draco ſub pedibus ſtat: & Chriſtus cum laurea in curru; quia Chriſtus triumphat, ubi vicerat draco. *Crux fixa eſt* (infit Auguſtinus *Serm.* in *Paraſc.*) *& dæmones diſperſi ſunt. Crux fixa eſt, & mors ſubverſa eſt. Hodie crux vicit, & mors victa eſt. Hodie diabolus victus, homo ſolutus, & Deus glorificatus.* Lignum eſt vitæ: qualem habebit fructum, ſi folia ligni ad ſanitatem Gentium?

Deus ſalutis.

Pauſan.

Effectus Crucis mirabiles.

Auguſt.

3 In terram viſionis, ideſt, in montem Moria, ubi crucifixus eſt Ieſus, ducitur in holocauſtum Iſaäc. *Ibi offeres eum in holocauſtum.* Ibi? Cur non alibi? Morti Iſaäc dicitur: verùm ſi in Moria ducitur, ut moriatur: non morietur: igitur ubi regnum videbatur mortis, ibi inveniendum inſtrumentum ſalutis. Ibi iacebat ſepultum lignum, ex quo crux Domini facta, ait Petrus Comeſtor lib. 3. *Reg.* cap. 26. & nequibat vivens vitam amittere, invento ligno, quo mortui revocantur ad vitam. Vita erat præſtanda hoc mirabili ſtipite: nondum habebat virtutem, quippe necdum ſuſceperat Redemptorem: ibi ergo ſacrificio deſtinatur filius, & non alibi; quoniam alibi non eſt virtus, qua liberetur à morte. *Per Crucem* (ait Leo Papa Serm. 8. de *Paſsion. Domin.*) *datur virtus de infirmitate, vita de morte.*

Gen. 22. 2.

Comeſt.

In Moria iacebat lignum quod Chriſti futura crux.

Leo Pap.

4 Agnovit Adamus & uxor eius. Cognoverunt ſe eſſe privatione gratiæ originalis nudos, & quamvis amaritudo pectoris, vel commotio cordis ferè ſurripuerant ſenſus, ſe etiam cognoſcentes ſerpentis vafricie illuſos, colligentes ex qua peccaverant arbore folia nuda, *fecerunt ſibi* pro opportunitate *perizomata.* Ad quid igitur huiuſmodi diligentia? An quia tunc pudor natus, vel tunc mortuus? Deo igitur omnia nuda & aperta: quo enim intuitu ſibi contexuerunt ex eadem qua deliquerant arbore perizomata? In præſentia medicamina. Infirmata fuit humana conditio illo mortifero pomo: vita adempta fructus eſu: & non ex alia arbore quàm ex ipſa qua peccarunt, folia carpſerunt; quoniam eadem ipſa, quæ intulit plagam, latura erat pro tempore medicinam: igitur diſpoſitione mirabili, virtus nata eſt ab infirmitate, vitaque à morte. Acumen eſt Alcimi Aviti lib. 3. *Geneſ.* 17.

Gen. 3. 7.

Per crucem ſalus de infirmitate, vita de morte

Alc. Avit.

Quoſque aluit miſero fallax inſania pomo,
Veſtivit folio; & quas ſæva ex arbore nudos
Reddidit, hac gravius tenui de cortice texit.
Et tamen adveniens tempus, cum crimina ligni
Per lignum ſanet, purgetque noviſsimus Adam,
Materiamque ipſam faciat medicamina vitæ.

Quid mirum, quod vulnerati folia arriperent, quæ futuræ in ſanitatem?

5 Priuſquàm in interiora Didaſcaliæ dirigatur greſſus, tranſcribere operæ duxit, quæ ex Rabbinis Galatinus *lib. 6. cap.* ultim. *Hæc arbor exciſa fuit ab arbore vitæ, quæ in Paradiſo ſita erat, Angelorum manibus: quam quidem miſerunt Adæ, cùm ille miſiſſet Seth filium ſuum ad paradiſum, miſericordiam Dei imploraturum de ſuo peccato. Angeli dixerunt ad Seth, ut plantaret hanc arborem, quæ quamprimùm fructum faceret, miſericordiæ Dei in eum deſcenderent, aperirenturque portæ cœli, quæ obſeratæ ſunt. Hanc autem arborem ſeu potiùs ramum accepit Seth, plantavitque in deſerto, quam poſtea Moyſes invenit, & ex ea virgam ſuam excidit, ideoque Virga Dei dicta eſt. Cùm autem veniſſet Iſrael ad Mara, neque illius aquas (erant enim amaræ) bibere poſſet; Deus oſtendit Moyſi hanc arborem, ut aquas illas redderet dulces. Et hæc eſt arbor illa in qua Moyſes ſerpentem æneum impoſuit, per quam Deus univerſum orbem ſalvum facere inſtituit, & mittere miſericordiam ſuam ſuper Adam, cùm venerit Rex Meſsias. Tunc enim hæc arbor fructus geſtabit, quibus ſecundò aquæ amaræ efficientur dulces, purgabuntque primum peccatum, omniaque delicta, quæ fecerunt, facturique ſunt homines.* Fides horum penes Auctorem ſit, igitur ſi examinarentur virgà Cenſoria, apparerent ſanè lubrica & ludicra; verùm refero relata.

Arbor crucis ex arbore vitæ.

Galatin.

6 Pro emblemate crucis picta fraxinus cum lemmate: *Virulento virus.* Apte nocentibus noxia, igitur vel umbram fugiunt ſerpentia. Conſule Picinell. ubi ſupr. *lib.* 9. *cap.* 14. num. 180. *Contra ſerpentes* (ait ex Plin. lib. 16. cap. 13. Ioan. Rav. in *Officin.* lib. 7. cap. 17.) *& impoſita ulceribus opifera eſt. Tantaque eſt vis, ut nec matutinas, nec occidentes umbras ſerpens arboris eius attingat, adeo ut ipſam procul fugiant. Si ea fronde gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignes potiùs fugiet, quàm in fraxinum.* Appoſitiùs congruit huiuſmodi virtus crucis trunco, quàm fraxino: igitur ille verſipellis virulentus draco libentiùs patietur profundi ignivomi flammam, quàm myſticæ fraxini leviſsimam umbram. Figebatur etiam cruci diabolus, eo articulo quo ligno clavis adhærebat pendulum Chriſti corpus: & deſcendit in profundum comburendus flammà, ne crucifixi tangeretur umbrà: etenim crux quæ opifica hominibus, nocua dæmonibus. Fuit utique virulento virus, quippe nocua nocentibus. Qui bibit toxicum theriace ſanatur, quæ quidem toxico artificioſè conficitur: & plauditur meritò lignum ſacrum, mortalitatis antidotun, toxicum efficacius in toxicum; ſiquidem nihil in tot prodigijs mirabile, ni in vulnus virtus oriretur ex vulnere.

Fraxinus figura Crucis.

Rav. Tex.

Crux mortalitatis antidotum.

Cur mirabile.

7 Crux Chriſti ut vidimus ex Galatino, facta fuit ex arboris vitæ ſurculo, quæ quidem eadem, ut aliquibus placuit, arbor vitæ cum ligno peſtifero pravæ ſcientiæ boni & mali. Perpende modò quæ canit Hymn. de *Cruce* Venantius. Peccavit Adamus; & ſutelà dæmonis Deus quaſi intimè punctus, ex eo quòd cogitatum in hominis dilecti ſalutem, ſerpens callidè convertiſſet in perniciem. Unde

Gen. 2. 9.

Venant.

De parentis protoplaſti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morſu in mortem corruit;
Ipſe lignum tunc notavit,
Damna ligni ut ſolveret.

Saucium fuit pectus humanum, quaſi pomo Phenelæ, ſerpentis arte, ſagittis inanis cogitationis, & ambitionis telis, medicato arboris fructu, quo invitavit aſpis: & hanc arborem à colubro homini confectam, & in-

infeſtam, Conditor notat; ut medelam ferret inde hoſtis unde læſerat. Hominem reſtituere ſaluti, Conditoris dilectioni, atque poteſtati facile: ſed lignum, ex quo, homo ſaucius, meditanter obſervat; ut medicinam vulneri præſtantiorem, & plauſibilem exhibeat: igitur nil inſigne, niſi virtus exiret de infirmitate, & obſequerentur medicamini ipſa inſtrumenta veneni. Inſigniora futura in notato ligno, ut reſurgeret mirabiliter homo; & ad ſe alliceret, inſtrumento quo deviavit: igitur ligno Sanctiſsimæ crucis homo convaluit, & venenata fuit ſerpens: curata fuit ſignanter vulneris plaga, ipſamet vulneris medicinà: igitur qui propinavit, ipſe & ipſa venena bibit: ſtupente ſerpente, hominem inveniſſe ſalutem, ibi ubi infeliciter contraxit infirmitatem.

Illà convaluit homo, & venenatus eſt draco.

Ioan. 3. 14.

8 *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis*: dixit Dominus Nicodemo. Ita? Sanè A ſerpentibus morſi viderunt medicamen in ſerpente: haud aliò ducuntur oculi, quàm quo læſi; ut fieret inſignior medicina, quàm plaga, & medici cœleſtis haberetur notitia: quandoquidem validis viribus experiebantur miraculum, factà medicinà in auxilium, quod fuit venenum. Sanari antidoto, eſt vulgaris medicatio. Toxicum conficiendum eſt in toxicum, & in ſalutem venenum, ut clareat mirabilis medicina, & archiatri ingenioſa diligentia; igitur ſerpente curantur, qui ſerpente percutiuntur. Ita exaltavit ſerpentem Moyſes, & non ſecùs erit filij hominis exaltatio in ligno crucis: quippe ſi ipſo ligno perdidit homo ſalutem, in ipſo recipiet homo vulneris ſanitatem.

Fuit in hominis auxilium, quod venenum.

Alcim. Avit.

Aureus ex alta cùm pendens arbore ſerpens
Serpentis veteres morſus, atque omne venenum
Eluet, & veterem perimet ſua forma draconē.

Canit Alcimus Avitus ubi ſupr. Haud aliter fuiſſet in cruce cœleſtis medicina, ni veneno ſerpentis, draconis expellerentur venena.

9 Sub initium Maij, ut autumat Lorinus in *Numer.* 33. 11. venerunt filij Iſraël in deſertum Sin, & ſiti gravati, feſsique moleſto itinere. Invenerunt aquam, ſed nequaquàm refrigerium; igitur caput ſcaturiginis fontium telluris malitià amarum. Adinſtar Tantali appropiabat lympha linguæ ſitienti, quin poſſent bibere. Angebatur dux aſperæ gentis, duræ cervicis, & durioris cordis, quæ prona in iurgium, ni cuncta caderent ad placitum, & pararentur ad votum. Pungitur intimè cor præſidis, ſi modò non ſtultus, ubi ſubditi dicunt: *Quid bibemus*? igitur nullus potus, ſi non potabilis, vel dum aggravat ſitis. Clamavit ergo Moyſes ad Dominum: *Qui oſtendit ei lignum: quod cùm miſiſſet in aquas in dulcedinem verſæ ſunt*. Hoc eſt factum, & dignum contemplatione prodigium: igitur ut canit Prudentius in *Cathemerin*. v. 666.

Exod. 15. 25.

Prudent

Inſtar fellis aqua triſtifico in lacu
Fit ligni venià mel velut Atticum:
Lignum eſt, quo ſapiunt aſpera, dulcius:
Nam præfixa Cruci ſpes hominum viget:

Succinit etiam Paulinus de *Redit. Nicet.* v. 29.

Paulin.

Per Sacramentum Crucis, unda miſſo
Dulcuit ligno, poſuitque triſtes
Myrrha liquores.

10 Duo miracula patrata ſunt coram filijs Iſraël. Alterum in converſione dulcedinis ex amaritudine aquarum; alterum demonſtrando mirabile lignum. Quoties contentio viget inter miracula, ſingularia ſunt prodigia. Quodnam maius? Videtur primum, cùm ſignum poteſtatis ſit amoris, dum fiunt dulces ipſæmet amaritudines: at ſecundum fit ab Scriptura plurimi, quippe dulcor natus ex ligni oſtenſione. *Oſtendit ei lignum*, ut dulcedinis miraculo prævaleret oſtenſio. *Ex hac arbore facta fuit Crux*, ut vidimus ex Rabbinis. Occultum erat oculis cognitionis huiuſmodi lignum, ægris remedium, feſsis ſubſidium, mœſtis ſolatium, quo cunctæ hominis abolendæ miſeriæ: & quamvis ſint ſingulariſsimæ gratiæ; præ cunctis ſingularior miraculis, micat inventio ligni ſacratæ crucis.

Inventio Crucis ſingulare portentum.

11 Suppetit cauſa. Certum eſt, lignum Crucis eſſe noſtrarum ægritudinum alexipharmacum, & doloribus cunctis generis humani panchreſtum: cæterùm inter dolores nullus maior, quàm quod cùm eſſet languoribus remedium, eſſet occultum: ſiquidem nequibant expelli mala, quoniam ignorabatur, ubi latebat ſingularis medicina: & virtute peregrinà, ac mirabili in moleſtias languoris, plauditur iurè oſtenſio ligni venerabilis Crucis; quoniam nihili erat, quòd medicamen eſſet in cordium languorem, ſi ligno non oſtenſo non proderat medicamen.

Creſcebant mala, quia latebat medicina.

12 Conſideremus ſequens portentum, ut præſtet magis in collatione primum. Dulcedo aquarum facta eſt per ſimpathiam ſingularem, cùm in ſe traxiſſet lignum aquarum amaritudinem. Ita Valleſius de *Sacr. Philoſoph.* cap. 15. Huius portenti geminatum fuit emblema, dum ferrum ſecuris cuiuſdam ſummerſum Eliſeo florente in aqua. Ferrum acerbas guſtui reddit aquas, imò ærugine venenoſas. Mit-

Valleſ.

titur in aquis lignum, & natat ferrum: dulciſque fit acerbitas aquæ, quam ex ferro imbibit; quoniam lignum aquarum amarorem ad ſe traxit. Verùm obſerva. *Miſit lignum, natavitque ferrum.* Non quibat facere miraculum levationis ferri, ſine deſcenſu ligni? Ni Deus deſcendiſſet, homo non aſcendiſſet. Ni veniſſet in terram, homo non aſcenderet ad gloriam. Aptiùs dicam: ne deſcendiſſet in lignum, haudquaquàm è profundo extraheretur ferrum, quo homo vinctus iacebat, ex quo deliquerat: & iam qui gemebat in profundo criminum, reſpicit cælum; quippe Chriſtus in ligno ſibi ſumpſit pondera peccatorum. Vernaclè. *No aſligen al hombre mas, pórque Chriſto traxo por el leño de la Cruz todos los hierros à si.*

4. Reg. 6. 6.

Homo aſcendit, quia Deus deſcendit

Ioan. 12. 32.

13 *Omnia traham ad me ipſum*, ſed cum in cruce exaltatus fuero: dicebat Aſſertor N. Quidni videretur in huiuſmodi exaltatione hominis exaltatio, ſi ferrum quo premebatur, confixum ligno? Miſit lignum in aquis, ideſt populis, & natavit ferrum: extuncque ferrum iniquitatum hominem non afflixit, quia omnia vincula ferrea ligno contraxit. Perpende ſtatum ſervitutis hominis, & modum conceſsioni libertatis. Conturbatus erat David, & à voce peccati, & à voce inimici. Unde pœna afflictionis? *Quoniam declinaverunt in me iniquitates.* Quomodò igitur in illum declinaverunt, dum ille aſſerit, declinaſſe in Dominum? Ita eius verba: *Declinaverunt in te mala.* Quo ingenio utrumque? Ut conſtet ſtatus libertatis hominis, & ſervitutis: igitur declinarunt in peccatorem, quoniam pœnæ à tergo ſequuntur iniquitatem: & minimè oppreſſerunt in quem iurè declinarunt; quoniam mala, quæ paſſurus homo, traxit innocens ad lignum. Iam non aggravant, in quem meritò declinant; quippe languores noſtros per lignum tulit, & dolores noſtros exaltatus in cruce, ad ſe charitate traxit. Dolores noſtros in cruce, ne dolores eſſent noſtri.

Pſal. 54. 4.

Pſal. 20. 12.

Chriſtus portavit in ligno, quæ paſſurus homo.

14 Ergo in ſuperiorem auctoritatem. Lignum Moyſes miſit in aquas, quæ ſignant populos, ſeu humanum genus; quod aggravabat cum acerbitate primævæ labis ſerpentis callidi dolus. Dulcorata eſt acerbitas aquarum, ex quo caro factum in viſceribus Virginis divinum Verbum. Plura miracula ſimul viſa, cùm per lignum iam dulcis amara pœna: ſed maior in miraculo gloria, oſtendere lignum in mari magno tot adverſitatum, relinquens hominibus ipſis in pœnis dulcorem; quoniam ſibi attraxit cunctarum amaritudinem.

Ut homo amaritudinem non haberet, ſibi ſumpſit.

Inſuper. Lignum, in quo Primiparentis apparuit iniquitas, dulcedine replet acerbiſsimas aquas. Medicina erat, ſed ignorabatur, ubi erat huiuſmodi medicina; quouſque ſigno mirabili Dominus oſtendit Moyſi. Inventio eius, uti unica ſalus hominum, ſingularem depoſcebat plauſum: & inter miracula, quibus doloribus hominum indicatur medicina; inventio ligni pretioſi cuncta videtur miracula, & propter inſigne beneficium, & propter mirabilem modum: igitur homo feliciter, in ipſa arbore qua Adamus perpidit, modo inexcogitabili ſalutem hauſit.

Salutem invenit, ubi Adã perdidit.

15 Subinde. Cuiuſnam ſpeciei huiuſmodi eſſet lignum, inquiritur ab Interpretibus ſacris. *Naturaliter amariſsimum erat*: ait Petrus Comeſt. cap. 32. & Rab. Salomon, ex quo Abulenſis hìc. *Mortiferum*: Valleſius ubi ſupr. *Venenoſum*: Bonfrerius. Surculum fuiſſe arboris ſcientiæ boni & mali: Galatinus. Ab his ſententijs ſumma oritur gravioris difficultatis. Si lignum amariſsimum, oſtenſio eius in medicamen, erat addere amaritudini ampliorem. Si mortiferum, inventio eius magis videbatur in graviorem plagam, quàm in præſentaneam medicinam. Si ſurculus arboris, ubi Adamus invehit venenum, filiorum ægritudines poſtulabat pharmacum. Ad quid igitur Deus oſtendit Moyſi huiuſmodi lignum? *Miraculo effectum in figura maioris ſacramenti*: ſubdit Valleſius. Miraculum fit, & quo nil plus. Reddere dulcore potabiles aquas, non eſſet novitas. Inſignis eſt medicina, ubi effectus idem causà contrarià. Mederi medicamine diſymbolo, erat intendere in bonum ſalutis, per accidentia oppoſita infirmitatis: cæterùm mortiferum vulnus curare vulnerante toxico; erat artis novæ medicinalis perfectio: ſiquidem inveniebatur ſalus, per quod advenerat vulnus: & oſtenditur lignum, ut maius in inventione conſtet miraculum; igitur divinà gratià, quòd venenum medicina. Singularis eſt ars, qua medicina fit. Virtus erit de infirmitate, dulcedo ex amaritudine. Inventio medicaminis ſemper plauditur, igitur languor à viſceribus excutitur: & nunc inventio ſignatur pretioſi ligni, in figuram maioris ſacramenti; quandoquidem divinus amor per Crucem confecit antidotum, ex ipſa vivacitate præſentanea venenorum.

Comeſt.

Valleſ.

Galatin.

Valleſ.

Per crucem quod venenum medicamen.

16 Nota modò. *Oſtendit ei lignum.* Oſtendit non tantùm lignum, ſed etiam ligni myſterium. Ex hoc ligno, ut vidimus facta eſt Crux, in qua ſalus hominum; & ſolus Deus quibat oſtendere, quod latebat,

Mirabilia occulta in Cruce.

portentum. In hoc ligno ſalus hominis infirmata eſt; verùm perfecta in hoc ligno. Per hoc lignum vita amarè ducitur, & amaritudo per hoc lignum dulcoratur. In hoc languit homo, & in hoc inventa hominis valetudo? Ad cœlum ſanè ſpectat ligni occulti demonſtratio: igitur ab hominibus non erat cogitabile, quòd lateret medicina in ægritudine. Quo ingenio homines cognoſcere poterant venenata in medicinam? Quomodo valere filios, quo pater mortuus? Quomodò amaritudinem dulcorem, & infortunium ſummam felicitatem? Omnia per Crucem: igitur origo patuit bonorum cœleſtium ex principio fatali calamitatum.

17 Hoc lignum, Rabbinorum opinione, erat germen ligni ſcientiæ boni & mali: ſed diligenter ius examinandum tituli. Impropria videtur nota, dum ſignis cuncta contraria. *Lignum ſcientiæ boni, & mali.* [Geneſ. 2. 9.] Nequit eſſe lignum ſcientiæ, igitur effectus fuit miſerrimæ ignorantiæ. Non boni, quippe ex fructu arboris, univerſæ nobis prodierunt amaritudines. Lignum mali ſanè, aptè & perſpicuè: igitur dolor cordis, & quod peius, capitis, dimanavit in naturam, ex quò patres comederunt uvam acerbam. Quo ergo iure dicetur lignum ſcientiæ, ſi univerſitas patuit ignorantiæ? & lignum boni, quod omninò mali? Exitus acta probant. Si non habuiſſet remedium originale delictum, ſicut piaculum non admiſit prævaricatio Angelorum; fructus arboris hominibus fatuitatis, & toti generi eſſet infelicis ſortis: verùm ex quo invalitudo parentum ex eſu cœpit, arborem Verbum divinum in ſalutem ſigillavit; ut qui victor diabolus gloriabatur, per idem quo vicerat, vinceretur, & eſſet ovanti opprobrium, quod erexerat trophæum: unde iurè hominibus vocatur lignum boni, & lignum mali; quoniam ibi feliciter invenerunt, quicquid amiſerunt ibi.

In illa invenit homo, quicquid amiſit in ligno.

18 Hoccine arcanum oſtendit Moyſi Dominus, dum oſtendit in dulcorem aquarum nobile lignum. Non poterat eſſe ſimul bonorum & malorum, felicitatum, atque moleſtiárum. Dum eius fructus decerptus, fuit oraculum ignorantiæ, uti inſtrumentum draconis: ubi ex ligno formata Crux, extitit cathedra magiſtri docentis: igitur cognovit univerſum genus humanum, cùm in ligno de *Medicina cœleſti* legeret divinum Verbum (retorto in adverſarium argumento, alio, quod non noverat, ſuppoſito) idem lignum eſſe originem bonorum, quod fuerat quondàm cauſam originariam calamitatum. Hinc procedit ratio cur pro eodem uſurpentur lignum ſcientiæ boni & mali, & lignum vitæ. [Geneſ. 2. 9.] Non poterat dici vitæ, quoniam introduxit mortem; nec boni quibat eſſe, quod immiſit ægritudinem: ſed utrumque mirabiliter nexum, ubi ex hac arbore nocuà compactum fuit crucis lignum: igitur vulnerato generi humano fuit lignum vitæ, dum ſalutem exhauſit ab ægritudinum fonte.

Origo fuit felicitatũ, quod fuerat malorum.

O felix lignum in quo Deus ipſe pependit! [Sibylla.]
Dicam cum Sibylla: ſiquidem per illud habemus ex veneno ſalutem, atque ex ipſa morte vitalitatem.

19 Apud Antiquos *Tau* fuit ſignum condemnationis, tum ob figuram, quam habet crucis, ſeu aptitudinis formæ in ſuſpendium corporis humani, ut videri eſt apud Lipſium, Hrabanum Maur. Iacobum Gretſerum, Ciaconium in tract. de *Cruc.* & noviſsimè apud Biverum in *Sacr. Sanctuar. Crucis*: tum qua erat ultima littera apud Hebræos, quia ſignabatur terminus. Quæ apud hos *Tau*, apud Græcos *Theta*, initium in dictione *Thanatos* ideſt Mors, cui vovebatur noxius, non per ſimplex *Tau* T. ſeu cum aſpiratione *Theta*, vel *Theëta*, ut placet Martin. Caſtillienſi in *Art. Græc.* Unde Perſius *Satyr.* 4. v. 13.

Crux olim ſignum mortis.

Et potis eſt nigrum vitio præfigere Theta.
Cornutus ibid. ſubdit:
O multum ante alias infelix littera Theta!
Et Auſonius *Epigram.* 120. cui ſubſcribit Eraſmus in *Chiliad* 1. *Centur.* 5. *Adag.* 56.

Miſelle doctor on *tibi ſit obſcœno,*
Tuumque nomen θ *ſectilis ſignet.*

Modo obſerva miſſum Angelum, ut ſignaret *Thau ſuper frontes gementium & dolentium.* [Ezech. 9. 4.] Si è cœlo mittitur mœſtis ſolatium, cur in ſigno damnationis augentur amaritudines? Ut magis innoteſcat vis divina medicinà collatà per adverſa. Singulariſsimum amoris pignus ſingularis etiam ſequetur modus. Haut ſingulare præſtaret in Dei miſericordia, ut ſigno vitæ conferretur vita. Cognoſcitur medicamen ingenij cœleſtis, ex eo quòd conficiatur ex oppoſitis: & cordibus afflictis acerbitate dolorum, ſignum ampliorum dolorum immittitur ad ſolatium; quippe miraculum libertatis non inſigne, ni vita amiſſa inveniretur in morte. E nece nex necis, è morte mors mortis, vita è vulnere, ſalus ex morte.

Vita inventa ſingulariter in cruce.

20 Mortiferum erat lignum, quod Dominus Moyſi oſtendit in ſanitatem aquarum: mortiferæ, etiam aquæ præ nimia ſalſugine. Quare igitur mors morti additur, & veneno venenum è cœlo oſtenditur? Neceſſarium eſt medicamen contra vim mortis, [Exod. ubi ſup.] haudquaquàm ut mortis venenis augeantur vires. Cur ergo virus demonſtratur in ligno? Ut vivat homo: & morte? Utique. Non commune oſtendendum erat miraculum, ſed ſingulariſsimum: & claruit etiam cœleſte in inventione arboris, in qua vitam ferebant venena mortis. Quàm aptè, & floridè Hermannus Hugo in *Suſpirijs Anim.* cecinit!

Inſignis per crucem medicina.

Infelix multis Theta, mihi littera felix:
Si Thanaton ſcribit, ſcribit & illa Theon. [Hug.]

Ex eo quòd Deus mortuus, homo ſalvus: igitur natura humana formoſa: per lignum quo fuerat nigra.

21 Audiamus Sponſum. *Sub arbore malo ſuſcitavi te. Ibi corrupta eſt mater tua: ibi violata eſt genitrix tua.* [Cant. 8. 5.] Ibi ubi mater perijt, minimè filia peribit. Gratiæ quaſi non ſufficerent, illas circunſtantiæ adaugent: ſiquidem ibi ornata fuit gratia, ubi perivit pulchritudo prima. Nota contextum, ut eximium clareſcat beneficium. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo* &c. [Ibidem.] Magnum iurè ſpectaculum: igitur Sponſa aſcendit, unde genitrix corruit. Ibi affluit delicijs: ubi mater plena malis. Ibi ſpecioſa, ubi mater corrupta: & denique Sponſum invenit, ubi genitrix fugavit. Verùm ubi omnia? Sub arbore malo, ex quo crux, qua ex teterrima decoloravit Sol.

Quod bona homini è crucis ſtipite?

22 Deinde. Huius genitrix, violata & corrupta, fuit Eva. Arbor malus, arbor mala: igitur ex fructu mali viventes vivebant mortui. Vitam inſigni fide præſtiturus erat Sponſus, & in demonſtratione amoris etiam videndus exceſſus. Salvare illam, amoris erat ſignum: ubi alij moriuntur, amoris emolumentum: & ut conſtaret inſignis amor, dum Sponſam afflictam angebat dolor; à morte extitit feliciter animus liber, ubi mortua iacebat prima mater. Perpende: *Suſcitavi.* Haud dicit, dediſſe vitam, ſed reddidiſſe. Vitam & gratis dedit, ſed ſub arbore malo natura rationalis amiſit; igitur languens ſine halitu ſpirans corruit. Virus viſcerum in nauſeam provocabat ſtomachum, quin expellere, quòd biberat, poſſet venenum, crebra vertigine capitis, atque inflammatione pectoris, non ſinente cordolio ob intimam ægritudinem, cor obſervare arterijs pulſus tenorem. Quod reſpirare, erat mori, & ſpirare expirare.

Ubi & quo mortuus revixit.

Naſcentes morimur finiſque ab origine pendet. [Manil.]
Et *Suſcitavi* dicit, quod vitam amiſſam in beneficio ſupponit; quippequàm Sponſus illi redditurus vitam, ob amoris vehementiam, ibi & quo per ſerpentem fuderat vitam. Sub arbore malo fuit genitricis corruptio, ſed Sponſa medicata ibi ſub arbore malo. Magnum utique quòd reſurgeret ex morte dilecta: ſed ſummum amoris, ibi ubi mater fuerat mortua.

Et cuncta amiſſa recuperavit.

23 Haud facile, eſtò linguis Angelorum, verba adæquata ſuppetunt, queis poſſit vel umbraticè dici divinæ charitatis incendium. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, in mortem*: [Ioan. 3. 16.] præut explicat Chryſoſtomus hic. [Chryſoſt.] Apparuit ſummitas amoris divini, cùm Pater propter hominem, filium tradidit morti. Fatemur fide: verùm quid eſt, *diligere ſic*? Singulare ſtudium amoris, flagrans incendium pectoris, vehemens flamma, qua æſtuabant plena charitatis viſcera. Prodigium profectò. quòd immortalis traderetur morti crucis, ut immortalitate donaretur mortalis. Ita igitur Chryſoſtomus ingenioſè exponit; cæterùm Chriſtus aliter diſſerit: *Sic dilexit, ut filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat; ſed habeat vitam æternam.* [Ibidem] Si venit, ut homo reſtituatur vitæ, quo pacto venit, ut vita tradatur morti? Mors eius eſt vita? Næ: in amore vehemementia exprimitur ſic. Exhibendum erat novum, & inauditum miraculum, in humanæ conditionis obſequium, quæ languerat lethaliter in paradiſo, latente colubro ſub arbore malo. Cogitavit amor artificium, quamvis iniquitas omnes ſemitas ſubvertit, ut noſtræ ſalutis viam Verbum Patrir inveniret. Dare propria vità vitam, erat charitas; attamen gratià non exprimebat ſummam. Demonſtrabat in amore ſupremam gloriam, per mortem conferre vitam: etenim contrarietates mortis & vitæ offerebant ingenioſè effectus adverſos cauſæ: & Chriſtus traditur morte in hominis gratiam; ut mortalis habeat vitam: igitur ſtudio charitatis vitam habuit, ſub eadem arbore & forma, qua infeliciter amiſit. Hiſp. *Logrò la vida feliz, con lo miſmo, y en lo miſmo que infelice la perdiò.*

Vitam habuit, quo vità amiſit.

24 Hoc eſt theatrum triumphi Crucis, & per Crucem amoris: etenim ſic dilexit, & ſic certamen intruxit, obijciens hoſti eamdem formam, eamdemque naturam mortalitatis participem, ſed totius peccati expertem, ut clarior eſſet victoria ex victoris vincendi vana fiducia, ſuperbientis arrogantià. In eodem ſtipite à diabolo mancipati fuerunt mortibus filij Adæ, cum tyrannidis nota, quippe diuturna mors indulgebatur pro vita. Amoribus ſceletorum viventium, atque vivorum cadaverum adventura de cœlis mira

Et omnia bona pariter cum illa.

dulcedo, divini amoris ingenioſiſsimo ſtudio. Ut ars dœmonis falleretur ipſamet arte, ibi ubi Adam mortuus, decretum eſt Chriſtum mori; ut homo haberet vitam, per quod acceperat mortem: igitur ſub arbore malo, qua corruit in totius ſtirpis infirmitatem, toti venenato generi conſecutus eſt ſalutem. In pœna Primiparentes vim noſcunt mali, & urget dolor, quò compulit error. Dubitant.

An hoc eſſe mori: vel ſi graviora ſuperſunt,
An detur reditus miſeris, an fine perenni
Perdant, quod ſupereſt: an cùm via mortis amaræ
Per lignum ingruerit, mundo, populiſque futuris
Poſſet adhuc aliquod per lignum vita redire?

Mar. Vict.

Succinit Marius Victor lib. 1. *Geneſeos* v. 543. Potiti ſunt voto, ſimulatque Chriſtus pedendit in ligno.

25 Hinc nobilitas arboris, & ſingularitas virtutis cœleſtis. Neſcio, an expreſſa pridem quàm homines eſſent. Dixit Deus, die creationis tertio: *Germinet terra lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.* Quomodò lignum fructum ferre quit, niſi iuxta genus ſuum? Vel quo ordine, ſi ſemen in ſemetipſo non eſt? Quia lignum ſcientiæ boni & mali, laturum aliquando, quod non ſuum, fructum exoticum vitæ. Tullit ſuum fructum, & contulit fructu venenum: ſic ſtabat, & præſtabat, allaturum fructum, cuius ſemen in ſemetipſo non erat: igitur dum ex ipſo factus ſtipes crucis, fructus erat ventris Virginis, & non arboris. Cùm ferret fructum non proprium; in proprium utique, lignum ferret remedium: etenim fructu de cœlo delapſo, mors auferenda, quæ proceſſerat è ligno. Ideo lignum & non arbor, truncus ex quo facta Crux. Fructus in ſemetipſo non eſt. Ecce arboris ſingularitas, & fructus novitas: igitur nactus eſt homo vitam æternam, ubi Adamus ſibi, filijſque ademerat vitam, accepto medicamine in ligno, veneno poto: igitur ſalus adepta, ubi ſalus amiſſa. *Crux* (ait Hrabanus de *Crucis laud,*) *peccatorum eſt remiſsio, pietatis exhibitio, meritorum argumentum, infirmorum remedium, laſſorum refugium, ſanorum incolumitas, deſperatorum ſecuritas, infortunatorum felicitas.* Cui ſubſcribit Caſsiodorus in v. 6. *Pſalm.* 4. dicens: *Crux eſt humilium tuitio, ſuperborum dilectio, victoria Chriſti, perditio diaboli, infernorum deſtructio, cœleſtium confirmatio, mors infidelium, vita iuſtorum, arbor reſurrectionis, lignum vitæ æternæ.* Ex illo enim mors irrepſit, ſed ex illo vita mortuorum prorrupit. Ideo in eius inventione ut obſervat Baronius in *Notis ad Martyrolog. die 3. Maij.* infirmus convaluit, & cadaver reſurrexit; ut pateret quòd in ligno Crucis conceſſa fuerit hominibus virtus de infirmitate, vita de morte. O dulce, ò nobile lignum! dicam cum Venant. Fortun. Hymn. 3. de *Cruce.*

Geneſ. 1.11. — *Crux habuit fructum proprium, dum tulit alienum.* — Hraban — *Crucis momenta.* — Caſsiod — Baron. — *Et mirabilia.* — Venant.

Quodque ferus ſerpens infecit felle veneni,
Sanguis in hac Chriſti dulce liquore lavat.
Hoc pius in ligno reparans deperdita pridem,
Quod vetiti ligni poma tulere boni.

DIDASCALIA X.

Summa felicitas, dum nequit eſſe potentior, niſi qui melior.

1 SCribit Seneca *Epiſt.* 90. Inter homines pro ſummo eſt optimus, & optimus maximus. Inter flores roſa principiſſa, quia pulchrior, & aurum inter metalla, quia pretioſius. Unde Solorzanus *Embl.* 8. canit:

Seneca. — *Maximus qui optimus.* — Solorz.

Optimus eſſe priùs Rex Divùm Iupiter ambit.
Maximus eſſe ambis? Optimus eſt priùs:

Iurè quidem: dedecus in muneribus, quin priùs obtineantur merita, habere vana meritorum ſigna. Non eſt ſuper, qui indignè in dignitatum cacumina ſurgit, ſed qui meritis optimis indignè iacet:

Claud.

———Velut altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos hiemeſque relinquit,
Perpetuumque nulla temeratus nubes ſerenum,
Celſior exurgit pluvijs, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

Merita ſunt, quæ poteſtas dignitatis inquirit, & adeptis pro ſplendore gaudet: igitur propudioſum, quòd ſit dignitate ſublimior, qui dotibus non eſt melior. Decus dignitatis nonnumquàm in electione quærendum, quod quidem conſtat excellentiâ meritorum: igitur priùs poteſtatem habuerunt merita, quàm per electionem deſignarent ſuffragia.

In dignitate qui non melior, non ſublimior.

2 Pertæſa iudices gens Hebræa, ſatagebat de Monarcha. Illa quærebat dignitatem, Dominus regem: etenim electori dixit: *Cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & ungens eum ducem ſuper populum meum.* Quiſnam hic? Saul enim erat:

1. Reg. 9. 16.

qui

Verſ. 2.

qui quidem *electus & bonus, & non erat vir de filijs Iſraël melior illo: ab humero & ſursùm eminebat ſuper omnem populum.* Priuſquàm ritus unctionis celebraretur in principem, vel colocaretur ſuper fatalem lapidem (ita apud Scotos vocabatur locus augurationis, ut notat Hector Boëthius *lib.* 13. quaſi elevari ad poteſtatem regiam eſſet deſtinari in ruinam, & in exitium omen, tendente electo in fatalitatem) vel ſuper ſcutum, iuxta inſtitutionem plurimarum Gentium; priuſquàm eſſet à ſuffragatoribus agnitus, vocatur electus. Ni pateret ex textu cauſa, electio videretur ſuſpicioſa: & qui ſæpe dum confertur ſuffragium, qui defungitur munere, habet electum; vel quia dum ambitio ſuggerit, modò ex natione præſes; ſit qui fuerit, vel qui primus ocurrerit.

Boeth. — *Auguratrix Principem, malum omen.* — *Infatuatio vocalium.*

3 Electus dicitur Saul, necdum electus. Quo iure? *Erat electus & bonus.* Merita ſunt, quæ Superiorem eligunt; ſiquidem ſuffragia ſubſcribunt electioni meritorum. Ex bonitate ſurgebant merita, ex vocalibus pendebant ſuffragia: & qui bonus, ante electionem vocatur electus; quippe priuſquàm ſuffragia deſignarent dignitatem, dotes illius conſtituerant principem. Dignitas ſuprema vacat, & eſt homo præclaris inſtrumentis ornatus? Ille bonus: & dum bonus ante electionem electus.

Merita eligunt.

Perpende. *Erat bonus, & non erat vir melior illo.* Cur non dicitur, quòd melior cunctis; ſed qui melior, dumtaxàt plauditur poſitivo bonitatis? Omnes meritis præcellere debet, qui dignitate præeſt omnibus: & minimè erit bonus, qui non melior. *Non erat vir melior illo.* Videntur enim dotes inſignes, dum eliguntur, antequàm conferantur dignitates: igitur dignitatis decor ſpectabilior, quòd è cunctis aſſumatur qui melior: ſicut proponentis ad dignitatem, quòd elegerit meliorem.

Præſes non bonus, ni cunctis melior.

4 Cæterò. *Ab humero & ſursùm eminebat ſuper omnem populum.* Hæc eſt electionis cauſa, meritorum ſcilicèt eminentia. Licèt Forma ſpecioſa congruat imperio, & proceritas, iuxta Ariſtot. lib. 4. *Ethic.* cap. 3. ſit eximia corporis pulchritudo; unde Virgilius lib. 7. *Æneid.* v. 783.

Virgil.

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.

Et lib. 8. v. 161. de Anchiſe dixit:

———Mirabar & ipſum
Laomedontiadem, ſed cunctis altior ibat
Anchiſes.

Hìc non tam commendatur magnitudo corporis, quàm virtutis. *Animi bona & ornamenta virtutum intelliguntur:* ſubdit hic Abulenſis. Eminebat virtutibus ſuper omnem populum ab humero & ſursùm; & iurè elevatur virtus huiuſmodi in faſtigia regiminis; cùm non inveniretur inter tot homo ſimilis proceritatis. Vernaculè vigilantius. *Fue la eleccion neceſſaria, no aviendo entre tantos hombres un hombre de ſu eſtatura.* Erat maior, & melior. Nemo è tantis melior illo: ergo neceſſaria electio: quippe ſi optimus maximus, ille unicus.

Abul. — *Iurè eligitur, qui excellit dotibus.*

5 His igitur inſtrumentis ſingularibus, & egregijs naturæ & animi dotibus, aſtruitur conſilium maturum propoſitionis, & electio ante poſſeſsionem dignitatis. *Quis erit electus, quem præponam?* dicitur per Ieremiam. Phraſis re vera ſubtilis: igitur cordato ni dignus præponatur, non proponitur. Præponere dicit, dum proponere oportebat pro electione: ſed meditanter, ac maturo conſilio; ut prudentior ſuffragijs coruſcet electio: igitur dum conſulitur prudentiæ, non eſt dignus proponi, qui non præponi: quandoquidem apti dumtaxàt ſupremis dignitatibus, qui præponuntur à dotibus. *Electus, quem præponam. Electus, ideſt, eligibilis:* ait Sanctius in Iſai. 54. 13. Qui poteſt eligi, quippe ſine meritis non poteſt. Eligunt merita, pluſquàm ſuffragia: & dicitur electus per ſuffragia eligibilis; quoniam ſine dotibus, eſtò proponatur, non eſt habilis.

Ierem. 49. 19. — *Sine illis inhabilis*

6 *Electus quem præponam.* Alij, *Proponam:* quæ non videtur verſio, ſed auctoritatis confuſio. Proponitur, ut eligatur: in propoſitionem non eligitur: quo igitur ordine ſupponitur iam electio, dum pro electione diſcutitur propoſitio? Omnia exponunt, quæ diximus de Saule, ut regia condecoraretur dignitate. In illius corde quaſi in centro ſederat virtus; igitur haud indulſit, per magnatem legem frangi etiam miles gregarius. Erat bonus, erat optimus; etenim nemo è cunctis melior illo. Inter omnes eminebat corporis proceritate, & virtutis magnitudine; ſiquidem nullus ſimilis ei: ut dicitur *cap.* 10. 24. Hæc enim inſtrumenta & proponunt & eligunt, priuſquàm ſuffragia pro electione conferantur: & homo tot inſignibus virtutum ornatus, ante aſſumptionem ad munus iurè dicitur electus; quoniam non fuit expoſitus congregationi, ut illum eligeret in principem, ſed ut ſuffragia virtutum confirmarent electionem: etenim priuſquàm hominem ita eminentem eligerent conſenſus vocalium, altiore iure ſuffragia elegerant meritorum.

Maior eſt, qui melior.

7 Deniquè. Se in regem elegit Saulus;